Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

August Varenius Johann Mantzel

Rationarii Theologici, De Scriptoribus Ecclesiasticis Disputatio I.

Rostochii: Richelii, 1668

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740048260

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

RU theol. 1.Aug. 1668
Varenius, Aug./a

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740048260/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740048260/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740048260/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740048260/phys_0004
DFG

RATIONARII THEOLOGICI,

De Scriptoribus Ecclesiasticis

DISPUTATIO I.

Quam posſ

PRÆAMBULUM

De Scriptoribus Ecclesiasticis in genere,

& horum ordinatione,

De Scriptis, quæ circumferuntur sub nomine

IGNATII, POLYCARPI, DIONYSII AREOPAGITÆ

judicium publicantem

MODERATORE DEO OPT. MAX.

Pl. Reverendæ Facult. Theol. consensu.

PRÆSIDE

AUGUSTO VARENIO,

D. Prof. Theolog. & h. t. Coll. Theol. Decano.

Publicæ collationi ipsis Calendis AUGUSTI hor. ab 8. matut. in Auditorio majori submittet

M. JOHANNES MANTZEL,

Rostoch.

ROSTOCHII

Typis Jacobi Richelii, Sen. Typogr.

ANNO cIↃ IↃc LXVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740048260/phys_0005

DFG

VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS ATQVE PRUDENTISSIMIS,
DNN.

CONSULIBUS, SYNDICIS, & SENATORIBUS.

Celeberrimæ ROSTOCHIENSIS Reipublicæ, Dnn. Patronis & Promotoribus suis plurimùm suspiciendis

S. P. D.

M. JOHANNES Mantzel.

Si Vobis hodiè, Mecenates Amplissimi, non accusabor importunitatis, nunquam certè accusabor. Cùm enim tot ac tantis rerum premamini ponderibus, nihilò tamen minùs in præsens Vestras interpellare curas haud sum veritus. Veniam a. quæso, habeatis mihi, Patroni Max: quin, habebitis etiam, si summam meam, erga florentissimũ V. Ordinem observantiam, me audacem fecisse, reputaveritis. Hæc profectò in caussa est, quòd post jam diu captatam Vobis inserviendi occasionem, præsens potissimùm, ad primitias saltim obsequii deferundas, elegerim tempus: satiùs enim putavi, semel, quamlibet intempestivè, atq; nunquam cum illis ad Vos venisse, præsertim cùm adhuc in recenti mihi versetur memoriâ, quanti fueritis optimo Parenti meo, quondã Senatori νῦν μακαρίτῃ, Fautores, quantiq; Amici: Is enim apud me aliosq; plures identidem solebat Vestram erga semet, singularem planè, prædicare benivolentiam, quod se non uti Collegam, sed uti fratrem, amaveritis. Quî igitur, quæso, per gratissimam hanc recordationem mihi liceret esse ingrato? cùm b. Parens morte (ô vices rerum!) præventus, Nob. Vestro Ordini pro officiis ex asse satisfacere nequiverit, quis vitio mihi verterit, si paterni, Vos unicè venerantis, animi heres, jam Vestro Ordini gratus esse incipiam, & postilla, in eodem instituto pro virili pergam? Accedit, quòd non ita pridem erga me ipsum V. eluxerit benivolentia, cum tenuitatis meæ rationem habebatis honorificam. Duplici e. ut parùm dicam, nomine, Vobis, Evergetæ, meam reverentiam, meq; adeò ipsum debeo. Imperate clienti pro lubitu, &, cùm præsens chartaceum munus humillimè offero, serenâ illud fronte, & ceu debitum accipite. Vivatis interim, Parentis piè defuncti, meiq; memores; utq; is observantiam erga Vos suam hereditario mihi reliquit jure, ita Vestrum, Parenti destinatum amorem, in me meosq; conferatis, velim. Valete. Scr Rostochii 8 Cal. Augusti AO. R. cIↃ IↃc LXIIX.

Breviarium Præambuli,

I.

Suppositio vocis *Ecclesiastici*, minutiùs excutitur §. 1, 2. 3. II. de Pontificalibus Epistolis judicium fertur §. 4. III. & Epistolas illas, & multa sub Apostolorum & Patrum sanctiore nomine supposititia dari probatur §. 5. 6. 7. IV. De Origene, Theophili, de omnium Patrum scriptis judicium publicatur Augustini §. 8. 9. Vincentii §. 10. Pici §. 11. Juris Can. §. 12. Cajetani §. 13. 14. contra Canum Andradii §. 15. Acostæ & aliorum Pontificiorum §. 16. V. Numerus Patrum scriptorum ex Gelasio & Leontio recensetur §. 17. VI. De Aristææ libro, Bellarmini, & Salmeronis, ac Scaligeri contradictorium judicium examinatur §. 18. 19. 20. 21. VII. De Josepho utroq; & Emboliſmis in Josepho confertur §. 22, 23. 24. 25. 26. VIII. De Sibyllinis agitur §. 27.

Breviarium Rationarii Classis I.

Sec. I.

I. De scriptorib. seculi I. tum Canonicis, tum cæteris Ecclesiasticis universim præmittitur, & sic itur ad I. *IGNATIUM* §. 1. Cujus Epistolæ in 3. classes distributæ, examinantur qvoad classem tertiam §. 2. qvoad mediam §. 3. 4. 5. 6. qvoad primam §. 7. unde porro itur II. ad *POLYCARPUM*, de qvô ponuntur partim certa, partim dubia, deq; Epistolâ Polycarpi idem qvod de Ignatianis judicatur. § I. & sic itur III. ad DIONYSIUM AREOPAGITAM, de qvo memorantur I. decem certa §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. II. Qvatuor probabilia §. 9. III. Septem falsa §. 10. 11. qvæ inter ultimum, Hierarchica illa & cætera esse fetum genuinum Dionysii Areopagitæ, cui hypothesi opponitur (a) ratio à tractatione argumentorum § 11. 12. 13 (b) argumentum â stylo, metachroniſmo, silentio de Paulo, & Antiqvitatis de scriptore Dionysio Areopagita §. 14. IV. Signum contradictionis Papisticæ explicatur §. 15 in Bellarminum, scribentem, solos Hæreticos Dionysiaca hæc negasse, ἐπιχείρησις subjicitur §. 16. Lorinus notatur §. 17

Sixtus

Sixtus Sen. §. 18. 19. V. Princeps Bellarmini argumentum ventilatur §. 20. 21 22. 23. 24. VI. Josephus Scal. contra Mart. Del. Rio vindicatur § 25. 26. VII. In examine sententiæ Venerabilis [illegible] tota hæc dissertatio clauditur.

Indiculus παραπτωμάτων Typographicorum.

Pag. 5. §. 4. l. 4. pro Sidori l. Isidori. p. 8. l. 4. signum claudens parenthesin omissum post vocem dejectus *p. 10. l. 18. Charitati. p. 12. l. 9. θεό p. 16. l. 24. posteritatē. lin. ult. Vio. p. 17. l. 26. lam. p. 20. l. 5. dele n. ibid. lin. ult, τῶν p. 25. l. 19. Epistolicam p. 29. l. 11. Nicæ. p. 32. l. 5. omissum comma. p. 33. 21. ἀμέτρως l. 22. λης l. 27. εὐτάκτως. sobrie p. 34. l. 5. tantem l. 19. Archontas. l. 22. 1000. p. 35. l. 2. post Cyrillum, tollatur comma, ib. l. 17. invocatio. p. 36. l. 28. γίαν pag. 38. l. 12. τὰ p. 46. l. 16. Marsilium Ficinum p. 48. l. 14. nec minoris. p. 54. l. 24. quàm*

Ad Clarissimum Dominum

JOHANNEM MANTZELIUM

Rostochiensem.

SS. Theol. Cultorem & Philosoph. ac Philologiæ Magistrum fulgidissimum, Amicum jucundissimum.

Post Canonem, tibi Cura Patrum sanctissima quàm sit,
Hoc RESPONDENTIS pagina, voxq́ probat.
Expertus, tibi quàm Sionis & Helladis artes
Constent, & patriæ gratulor atque Patri.
Illi, Mantzeliosq́ foro templisq́ tenere;
Huic, quod per te non mortuus esse queat.

Celerr. honori & amori erga
Cl. DN. RESPONDENTEM
Augustus Varenius.

(:o:)

PRÆAMBULUM.
Ratiocinarii Theologici de Scriptoribus Ecclesiasticis.

§. I.

Doctorũ vel scriptorum Ecclesiasticorũ titulus, nunc I. γενικῶς sumitur, s. generaliter pro omnibus qvi qvocunq; modo res Ecclesiasticas tractarunt, sic ut ὑπερεχῶς i. secundùm excellentiam complectatur, qvos propriè & strictè Canonicos appellamus, tum Vet. tum Novi Testamenti Scriptores, δευτέρως seu secundariò, dictos in oppositione Canonicorum, *Apocryphos* (alio enim sensu Judæi ipsos ὁμολογουμένως Canonicos, s. qvosdam ex his, vel qvasdam Canonicorum partes, ad qvorum lectionem non admittunt, nisi ætate & judicio maturos c. c. Koheleth, principium & finem Ezechielis, vocant גנוזים s. *Apocryphos*, vel ἀπόκρυφα, alio item *Gelasius in decreto de libris Apocryphis, dist: 15. c. Sancta Romana* libros hæreticorum, ab Ecclesiâ notatos, & vel manifestè fabulosos, appellat *apocryphos*) τελέτως autem & ultimò Tractatores cœteros, qvi sive ante tempora Apostolorũ, sive iisdem temporibus, sive post illos scripserunt (qvomodo *Aristæam*, qvi vixerit tempore P. Philadelphi & LXX. Interpretum, & *Philonem Hebræum*, qvia scripturas divinas testamenti veteris primus, etsi ἀλληγορικῶς ut plurimùm, nec sine multâ περιβλόκῃ exposuit, & in laudem Christianorum, qvi in Ægypto vivebant, scripsit,

& *Josephum Hebræum*, propter σωματοποίησιν s. brevem repetitionem historiæ sacræ, & nobile miniméq; *hypobolimæum*, qvale visum *Tanaquillo Fabro*, testimonium, qvod Christo reddidit l. 18. antiq. Jud. c. 4. inter scriptores Ecclesiasticos collocavit Hieronymus, & ex recentioribus, Bellarminus) etsi negare haut licet, qvin in tertiâ hâc classe emineant, qvi post Apostolorum tempora scripserunt, & inter hos, qvi in 5. vel 6. seculis prioribus, Apostolorum ætati propioribus, prout Augustinus, qvi tales ad suam usq; ætatem scriptores, appellat *divinorum eloquiorum, egregios & Catholicos tractatores*, sic tamen ut collocet eos infra autorem & autoritatem illorum, qvos vocamus, Apocryphorum e. c. *Libri sapientiæ:* unde infert Augustinus lib. 1. de prædest. Sanctorum c. 14. Qvi admitterent divinorum eloqviorum Catholicos tractatores, multò magis admittere, nec adeò *repudiare debere, sententiam* libri Sapientiæ: *Qui sententiis*, inqvit *Tractatorum instrui volunt, oportet, ut istum librum Sapientiæ omnibus tractatoribus anteponant.* Et hoc sensu omnes illos sub titulo scriptorum Ecclesiasticorum complexus est Bell. in lib. de Scr. Eccles. qvos in tribus millenariis collocatos distinguit in illos, qvi per 1500. annos ante Christi adventum, & qvi per totidem s. 1500. annos post Christi adventum adusq; finem seculi XV. jam inde â Mose primo Scriptore Ecclesiastico, Sapientiæ Ecclesiasticæ laude floruerint & scripserint.

§. 2. Nunc II. salvâ eminentiâ Canonicorum, velut secundùm excellentiam Ecclesiasticorum, inter ipsos Apocryphos, διακριτικῶς & resp. publicæ in Ecclesiâ lectionis qvidam libri appellati sunt *Ecclesiastici*, qvi digni præ cœteris visi patribus sunt, ut in Ecclesiâ legerentur ad ædificationem plebis. Scilicet, cum ἐξοχῶς soli Canonici essent Ecclesiastici, & his oppositi appellarentur Apocryphi, velut occultandi potiùs,

qvàm

qvàm publicè legendi, prout contraria sunt ἐκκλησιάζεσθαι & ἀποκρύπτειν (etsi populariter aliqvando, qvidam ex his vocabantur qvoqve Canonici) qvia tamen horum ingens discrimen, & qvidam præ cœteris eminebant, velut post Canonicos maximè digni, qvi legerentur in Ecclesiâ, proinde distinctio Apocryphorum fuit in libros magis *Ecclesiasticos*, & *utiles* qvidem: sed non adeò *Ecclesiasticos*, qvomodo liber Jesu Sirach. *Ecclesiasticus* inde dictus, & *liber Sapientiæ*, qvia *pariter meruit* (verba sunt August. l. alleg.) *in Ecclesiâ Christi, de gradu lectorum Ecclesiæ Christi, tam longâ annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab Episcopis usq; ad extremos Laicos fideles, pœnitentes, Catechumenos, cum veneratione divinæ autoritatis audiri*, non minùs peculiariter Ecclesiasticus vocabatur & erat, & uterq;, qvia γνωμολόγος, etsi non Canonicus, appellabatur πανάρετος i. e. πανσοφώτατος: non item e. c. liber Judith, de qvo illud apud Veteres: τὸ μὲν Ἰουδὶθ βιβλίον χρήσιμον μὲν, ἀλλ' οὐκ ἐκκλησιάζεται. Distinguebant sc. Veteres βιβλία s. libros sacros in βιβλία ἐν διαθήκῃ (qvæ sc. Canonem constituebant, s. erant reverâ libri, τῆς διαθήκης s. Testamenti Veteris, & propriè ac secundum excellentiam Canonica, qvomodo & ἐν διαθήκαις γραφαὶ, item ἐν διαθήκαις γραφαὶ libros illos vocat Eusebius, qvos βιβλία ἀρέσκοντα, κανονιζόμενα τῆς πίστεως ἡμῶν ἀκεσθέντα, ἀγνώρους καὶ ἐρίσματα in Synopsi, Athanasius, eorundemq; cum Cyrillo in Catech. 4. Illum. & Nazianzeno, de γνησίοις scripturæ libris non nisi XXII. s. ἅπερ δύο ἰσάριθμα τοῖς γράμμασι, tot sc. *libros*, qvot *Hebræorum Characteres*, numerat) & βιβλία ἀπόκρυφα s. οὐ κανονιζόμενα i. e. Apocryphos s. occultos, nec in Canone positos: & hæc qvidem βιβλία omnia erant ἀναγινωσκόμενα: sed non omnia ubiq; ἐκκλησιαζόμενα s. talia qvæ legebantur in universali Ecclesiâ: ut adeò ex apocryphis qvidam essent Ecclesiastici, qvidam minùs. Et sic omnes qvidem Canonici,

Ecclesiastici: sed non contra. Et qvicunq; non Ecclesiastici, nec Canonici qvoqve: sed non contra. Conf. Scalig. in animadvers. Eusebianis p. 99.

§. 3. Nunc III. *Ecclesiastici* appellantur, non respectu lectionis in Ecclesiâ: sed respectu tractationis rerum Ecclesiasticarum, & sic qvidē, ut contradistinguantur, & *scriptoribus & scriptis tùm Canonicis illis, tùm Apocryphis*, omnibusq; adeò & in *Biblico Canone* & interpretum *Biblicorum Codice* contentis, qvæ præsens qvoqve nobis in judicio de Scriptoribus Ecclesiasticis, vocis est suppositio, qvi adeò nihil sive de illis ὁμολογουμένοις Canonicis, sive de illis ἀντιλεγομένοις sub V. T. Apocryphis: sed tantùm de seqventibus Apostolorum tempora scriptoribus sacris, vel rerum Ecclesiasticarum tractatoribus (nisi fortè in transcursu de antiqvioribus & vel ψευδεπιγράφοις agendi dabitur occasio) & illis inprimis in scriptorum Ecclesiasticorum post-Apostolicorum Palatio, conscriptis *Patribus Catholicis*, commentaturi præcipuè simus, nec verò de omnibus qvi scripserunt (cum longo ordine multi illorum illacrymabili premantur ignotiq; longâ nocte, qvorum sola nomina, vel exigua fragmenta reperire licebit apud *Hieronymum, Eusebium, Gennadium, Photium, Sigebertum, Trithemium*) sed solùm de adhuc extantibus s. qvorum opera etiamnum supersunt, & de his juxta ordinem seculorum, sic tamen ut & *hujus & superioris seculi scriptorum Ecclesiasticorum vix quicquam*, & seculorum seqviorum, nobisq; propiorum scriptores, inprimis Scholasticos, cæterosq; viros ingeniosos, qvorum in re Ecclesiasticâ desudavit opera, parciùs notaturi, vel de illis scripturi simus. Et in singulis qvidē seculis *ad 4. classes aliorum scriptorum* nomina revocabimus, *quarū prima* continebit scriptores præcipuos, & fide vel usu digniores: *secunda*, sive dubios, sive usu minores: *tertia & 4.* supposititios, vel noxios, qvi, sive sub sanctioribus

nominibus, superstitionem damnabilem occulunt, sive in fabulas exeunt, nulloq; se sive magno, sive certiore usu Ecclesiæ commendare possunt: sic tamen, ut de cætero scriptores respectu argumenti specialis, discreturi non simus: sed, prout in hoc vel illud seculum uniuscujusq; ætas incidet, ita collocaturi singulos, qvi aliàs commodè distinguuntur in (1) Exegetas qvi S. scripturam explanarunt (2) Disputatores s. qvi adversus hæreses acutè disputarunt & scripserunt. (3) Historicos & Chronologos Ecclesiasticos. (4) Oratores & Poetas Christianos. (5) Theologiæ casualis Doctores, qvi casus conscientiæ tractarunt. (6) Asceticos, qvi Exercitium pietatis piis scriptis propagarunt, qvibus alii addunt (7) Doctores Scholasticos, & (8) Collectores Canonum, ex decretis Pontificum ac Conciliorum, & sententiis patrum, etsi tùm hi, tum illi sublimem scriptorum Ecclesiasticorum titulum minùs merentur.

§. 4. Videri qvidem poterat, titulum & locum insigniorē dandū Pontificalibus Epistolis, inprimis, qvæ sub sanctissimorum olim Romæ Episcoporum nominibus incedunt & subsidori velut Collectoris, nomine, ante 800. annos processerunt: cæterum, postqvam Bellarminus ipse in præfatione agnovit, Epistolas Pontificales ut plurimùm non esse partum ingenii Pontificum: & p. 92. in Damaso *librum de vitis Pontificum non esse Damasi: sed Anastasii*, unde & judicium de Epistolis Aurelii & Hieronymi super illo libro pontificali ad Damasum, & de Epistolis Damasi ad Aurelium, sc. illas *falsas* esse & *suppositias*: nec minùs p. 173. In *operibus quæ sub Isidori nomine prodierunt, multa esse, quæ non ab ipso Isidoro scripta: sed ab alio aliquo sint superaddita*, postqvam Fr. Turrianum Jesuitam (qvi adversus Magdeburgenſium ἐλεγχους qvinqve libris aculeato stilo conscriptis probare conatus, il-

las Epistolas, qvæ piissimorum urbis Romæ præsulum â Clemente ad Siricium incedunt nomine, illorum ipsorum Episcoporum Epistolas genuinas esse, idq; tantâ impudentiâ, ut Rainoldi tom. 1. Apocryphorum p. 1748. judicio, *nullum unquam opus scriptum fuerit, quod Jesuiticæ impudentiæ insignius & luculentius monumentum esse potuerit*) in *censurâ Epistolarum*, sub titulo *Pseudo-Isidori & Turriani vapulantium* retudit David Blondellus, Riveti in script. contra Grotium, judicio, *Vir in antiquitate Ecclesiasticâ versatissimus*, & ipsius Grotii sententiâ, *inter omnes Ministros, qui se Reformatos vocant, historiæ veteris peritissimus*, postqvam Baronius ipse, etsi nonnullarum auctoritatem agnovit, tamen plurimas doctissimis censuris notavit, nihil attinet prolixè retundendis illis operam accommodare, qvi tamen & de Epistolarum illarum collectione & de singulis epistolis epicrisin dabimus suo loco in classe 4. Commodè hîc incidit, qvod pulchrè Baron. annal. tom. 7. A. 530. & tom. 5. ad A. 419. *Eant procul â fidelium cœtu, qui in Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam ejusmodi conantur inferre quisquilias, longeq; longiùs exulent â Catholico orbe, qui quæ corruere videntur, mendaciis suffulcire nituntur: nam super solidum fundamentum, firmamq; petram, structa est, semper manens nunquam casura, sincera fides.*

§. 5. Atqve utinam solæ illæ Epistolæ suppositiæ tale ludibrium deberent, & non ipsa sanctissimorum Patrum, imò ipsorum Apostolorum nomina falsis & suppositiis præfixa, & illorum qvoqve scripta mixturis & supplementis olim vel ab hæreticis ipsis vitiata fuissent! Qvot enim & qvanta sunt, qvæ velut Apocrypha, falsò Apostolis tributa, in Concilio Romano repudiavit Gelasius circa A. 493. & qvanta ibi *actuum* & *Evangeliorum Apostolicorum* nomina, qvibus tamen

men ſ. illorum ψευδεπιγεγράφων Autoribus, anathema jure dixit Gelaſius vid. ibidē. Notatum jam olim ab Autore expoſitionis ſymboli, qvæ etſi veriùs habetur Autoris Ruffini, extat tamē inter opera Cypriani, *fuiſſe perverſos homines, qui ad aſſertionem ſuorum dogmatum, ſub Virorum ſanctorum nomine inſeruerint ea, quæ illi nunquam ſcripſerint*: qvod & â Patribus in Concil. Nicæn. 2. congregatis obſervatum, & inde concluſum: *Decere omnem Chriſtianum, cum libros aliquot adulterinos audit, aut legit, reſpuere, nec omninò animum adhibere:* vid. Act. 6. tom. 5. epit. Caranz. p. 371. Agnovit idem Vives & notavit ad l. 22. Auguſt. de civitate Dei c. 8. *non dubium, quin multa fuerint addita ab iis, qui magnorum Virorum ſcripta impuris manibus contrectarint.* Agnovit Vincent. Lirin. in Common. c. 23. *corruptos eſſe Origenis libros, idq; & traditum & ſcriptum non â quibusdam Catholicis tantùm: ſed etiam hæreticis*, qvalia vel 600. de veterum patrum ſcriptis, vel per æmulos, vel per hæreticos vitiatis, animadverterunt Eraſmus, Rhenanus, & alii Viri docti, ſtudio partium non abrepti, & in medio Papatu viventes. Apertè Sixtus Senenſ. præf. l. 5. Bibl. Sacræ, *illud*, inqvit, *non eſt prætermittendum, quod Pamphilus Martyr, Euſebius Cæſareenſis, Didymus, & Ruffinus conqueſti ſunt, videlicet Clementis, Dionyſii, Origenis, Athanaſii & aliorum nobilium Doctorum ſcripta plurima fuiſſe olim peſſimè tractata ab hæreticis: qui, ut hæreſibus ſuis fidem & autoritatem, ſub nomine Clariſſimorum patrum conciliarent, multa quoque de ſuis dogmatibus inſeruerunt, pugnantia, cum his, quæ ſenſerant ac docuerant celebres illi Viri, quos credibile non eſt, in iisdem voluminibus, in re eâdem & eodem tempore, contraria aut ſenſiſſe, aut ſcripſiſſe, præſertim, cum nec eſſent amentes, nec prorſus oblivioſi.*

§. 6. De Timotheo Æluro, Dioſcori diſcipulo, & inde

inde Chalcedonensi Synodo infenso, (qvi Presbyter Alexandrinus, per summum scelus, trucidati crudeliterq; post mortem habiti Antecessoris Proterii, Episcopalem Cathedram occupaverat, unde mox â Leone Imperatore dejectus) historiam refert Nicephorus lib. XV. Histor. c. 16. qvod *multa divini Cyrilli* (Alexandrini) *scripta, tunc nondum vulgata, dogmatibus suis adulterinis asperis depravasse*, judicatus fuerit. *De Origenis* scriptis paulò antea allegatis, ante Vincentium jam jam citatum fatetur idem & qvidem ex publicâ tunc *Veterum querelâ*, Hieronymus in Epist. ad Pammachium & Oceanum: idem animadversum in *operibus Cypriani* scil. sub Cypriani nomine *multa à præsumtoribus atq; mendacibus fuisse conficta* testis est Augustin. ep. 48. ad Vincent. ut non absre conqvestus Rivetus fuerit l. 1. crit. sacr. c. 13. *Aliud*, inqvit, *accedit incommodum, quod Patrum scripta legentibus negotium facessit. Quò plus doctrinâ excelluerunt veteres illi, eò plùs volumina inveniuntur eis falsò adscripta, & iis inscripta, quorum vel Spiritum vel genium non referunt. Hîc igitur opus est delectu & judicio.* Ita Sixtus Senensis agnovit: *Multa in Catholicorum monumentis inveniri Pseudepigrapha, adulterina & supposititia*, qvæ *eorum non sint, quorum titulos & inscriptiones præferant.*

§. 7. Nec id solùm observandum in Patrum scriptis: sed & tum in dogmatibus, tum in scripturarum interpretationibus longiùs aliqvando ab ipsâ veritatis regula illos aberraviſſe, stipulasq; (atqve utinam solùm stipulas!) non semel Catholicæ Canonicæq; veritati sive immiscuisse, sive superstruxisse, Deo, ut sic laberentur alicubi, non solùm permittente: sed & sic ingens, qvod esset inter scripturas Canonicas θεοπνευστους, & adeò privilegio ἀναμαρτησίας nobilitatas, & qvorumcunq; aliorum Patrum scripta ostendente, & vel

hoc

hoc ipso ad scripturarum diviniſſimarum pretioſiorem æſtimationem, & ſecuriorem lectionem, mortales de immortalitate ſolicitos avocante, ut nihilominus, qvia multa ſcripturæ loca præclarè explicuerunt, antiqva Eccleſiæ dogmata contra novas hæreticorum coruptelas ex ſcripturâ defenderunt, multos locos doctrinæ rectè tractarunt, multa de hiſtoriâ primitivâ, de accepta ab Apoſtolis & Viris Apoſtolicis interpretatione ſcripturarum legitimâ & genuinâ, plurimisq; aliis utiliter monuerunt, & notarunt, *Patrum ſcriptis ſuus, & quidem, qui illis debetur, honorificus locus ſit tribuendus.* Prout enim propter illas ſtipularum tribulorumq; miſturas, *florida prata* Patrum penitus vitare, nævosq; vel verrucas illas petulanter in accuſationem Patrum convertere, livor foret, & obtrectantis potiùs malignitatem, qvàm judicii Theologici ſinceritatem oſtenderet: ita nec illud eſt, Eccleſiaſticos Dd. honorare, cuncta qvæ in illis ſunt, velut Canonicam veritatem, pertinaci animoſitate propugnare, & ſive *ſtipulas*, ſive *lappas*, ſive *plumbum*, qvod alicubi in illis, *auri* loco venditare; ac ſine diſcrimine Eccleſiis velle obtrudere: ſed qvæ in illis Canonicæ veritati conſonant, gratâ mente recipere, ac collaudare, qvæ autem ab illâ recedunt, ſi excuſari, & commodâ explicatione emolliri non poſſint, ſalvâ Patrum honorificentiâ ſive prætermittere, ſive reverenter, hîc *Magiſtros non tenendos*, monere, præprimis, cum hâc libertate uſi ſint ipſi ſæpè Patres in propriis, *libros retractationum* ſcribendo, & ſive duriuſculè, ſive parum dextrè commodeq; â ſe ſcripta, corrigendo, qvomodo *Ambroſium*, ſententiam ſuam de Zachariâ & Eliſabet immunibus â peccato, *minutiùs excutiendo correxiſſe* notat Aug. l. 1. de grat. Chriſti cont. Pel. c. 49. nec minùs poſteriores in Anteceſſorum ſcriptis, liberè ab illis, ubi aberratum, recedendo, ad qvod qvidem non multâ

solùm lectione: sed & ad utrumq; singulari *judicio* opus esse nemo facilè negaverit.

§. 8. Ita admirabilis & laboriosissimi scriptoris *Origenis* libros, Theophilus Alexandrinus Origenis scriptorum censor per omnem ferè ætatem implacabilis, & Origenistarum ac sub hoc titulo Joh: Chrysostomi Archiep. Constantinopolitani persecutor vehementissimus, jam senex & morti vicinus maximo studio legens, mirantibus tantum lectionis damnatorum antea librorum paradoxon, rationem, teste Socrate hist. Eccl. l. 6. c. 15. his verbis reddidit: *Libri Origenis sunt similes prato omnibus florum generibus referto: idcircò si quid in illis reperio boni, illud decerpo: sin spinosi quicquam, hoc utpote aculeis pungens, missum facio.* Agnovit idem illud nec minùs ingentem inter scripturas Canonicas velut *in summo & cœlesti autoritatis culmine collocatas, quas de veritate illarum securus legere possit*, & qvæcunq; aliorum Patrum scripta, ingentem distantiam Augustinus in Epist. 19. ad Hieronymum: *Ego*, inqvit, *fateor charitati tuæ, solis eis scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum Autorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam: Ac si aliquid in his offendo literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quid dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam: Alios autem ita lego, ut quantâ libet sanctitate, doctrinâq; præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi Frater, sentire aliquid aliter existimo, prorsus, inquam, non te arbiror, sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum & Apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est.*

Absit

Absit hoc à piâ humilitate & veraci de temetipso præsumtione. Ita idem Augustinus contra Pelagium objicientem sibi Ambrosium: *Sanctus quidem & doctus Vir: nequaquam tamen autoritati scripturæ Canonicæ comparandus* l. 1. de grat: c. 43.

§. 9. Nec minùs digna, qvæ transscribatur sententia Augustini est, qvâ respondit Cresconio Donatiano opponenti Cyprianum l. 2. cont. Cresc. c. 32. *Ego*, inqvit, *Epistolæ ejus* (Cypriani ad Jubajanum) *autoritate non teneor, quia literas Cypriani non ut Canonicas habeo: sed eas ex Canonicis considero, & quod in eis autoritati divinarum scripturarum congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non congruit, cum pace ejus respuo.* Pergit Augustinus: *Si ea, quæ commemorasti à Cypriano scripta, de aliquo Apostolorum, vel Prophetarum Canonico recitares, quid omninò contradicerem, non haberem. Nunc verò, quoniam Canonicum non est quod recitas, eâ libertate, ad quam nos vocavit DOMINUS, ejus Viri, cujus laudem consequi non valeo, cujus literis mea scripta non comparo, cujus ingenium diligo, cujus ore delector, cujus charitatem miror, cujus Martyrium veneror, hoc, quod aliter de baptizandis hæreticis, & schismaticis sapuit, non accipio, quamvis incomparabiliter inferior Cypriano, prout illud quod fecit Petrus, nec accipio, nec facio, quamvis incomparabiliter inferior Petro.*

§. 10. Nec semel illum Patrum Catholicorum s. ab his scriptorum usum, & *discretionis* illum *Spiritum* testatus est Vincentius Lirinensis in commonitorio suadens, qvidem, ut, *si novella quædam contagio, non jam portiunculam tantùm: sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur, antiquitati inhæreat bonus Catholicus* c. 4. qvod exemplo *Donatistarum* probat c. V. *Arianorum* c. VI. sed sic ut præferat, allegato Ambrosio, *librum signatum illum propheticum, quem non Seniores, non potestates, non Angeli, non Archangeli aperire sunt ausi, sed cujus*

explicandi prærogativa servata est Christo soli. c. 7. nec dissimulat lapsum summorum patrum non solùm in hæreticas partes prorsus abeuntium e.c. Nestorii, Photini, Apollinaris c. 16. sed & aliorum Catholicorum e. c. Cypriani c. 11. Tertulliani, c. 24. Origenis c. 23. qvorum illi apud Latinos: hic apud Græcos omnium Patrum facilè princeps fuerit: sed in Ecclesiâ Dei, *magna tentatio;* qvalis illa prædicta â Mose Deut: 13, 1. 2. 3. ut adeò vel summis *Doctoribus* etiam prodigiosè ingeniosis, & admirandis competat, qvod ibidem DEUS ſ. θεόπνευστος Moses de Pseudoprophetis cum prodigio venientibus: *Tentat vos Dominus DEUS vester ad cognoscendum, an sitis amantes Domini DEI vestri ex toto corde vestro?* & propterea tutissimum sit redire ad PRIMAM FIDEM, cui ab Apostolo ad Galat. c. 1. 8. 9. & adeò bis, non Apostolica solùm: (*si vel nos*) sed & Angelica subjiciatur excellentia (*sive Angelus de cælo*) Conf. ille c. 12. qvi idem c. 11. agnoscit: *Patrum scripta sæpè paulò involutiùs esse edita, quæ pro ipsâ sui obscuritate dogmati hæreticorum congruant.*

§. 11. Par judicium ante 200. annos fuit *Joh. Pici Mirandulæ Comitis, Concord. Domini*, Viri ingeniosissimi, qvi pro sententiâ suâ *de Christo secundum animam descendente ad inferos*, sic ut ratio præsentialitatis animæ separatæ in infernis, non fuerit *substantialitas*: sed *operatio*, allegato *Durando* contra *Scotum*, & pro *Durando*, Capreolo, & Durandello etsi noluit Picus videri, se idem sentire cum Durando, urget, qvod, si sententia illa simpliciter esset hæretica, consequens foret, *Durandum, maximum Prædicatorum post Thomam ordinis splendorem, mortuum esse, hæreticum.* Opponentibus autem Scotistis, Concilia, & autoritates sanctorum Patrum, respondet: *Nego valere istam consequentiam. Hæc opinio est contra dicta Augustini, Hieronymi, Gregorii (& sic de cæteris*

Dd. Ec-

Dd. Ecclesiæ E. est hæretica. Quamvis enim sanctorum Doctorum scriptura extra Canonem Bibliæ posita, sit tradenda legenda & cum debitâ reverentiâ suscipienda, non tamen sunt eorum dicta ita firmæ autoritatis & immobilitatis, ut eis contradicere non liceat, & circa ea dubitare. Ideò per dicta sanctorum extra Canonẽ Bibliæ non potest convinci opinio hæretica manifestè: nam ubi non est infallibilis veritas, ibi nec fides certa & indubia: sed assentimur semper cum dubio, & cum formidine falsi. Quod autem in dictis sanctorum extra Canonem Bibliæ non sit veritas infallibilis, tres mihi succurrunt probationes 1. *quod ipsi Dd. de suis dictis dubitant, an in eis erraverint, an non?* Allegat inter alia dictum August. l. ad Vincentium: *Negare non possum nec debeo, sicut in ipsis majoribus: ita in meis tam multis opusculis, multa esse quæ possint justo judicio, & nullâ temeritate reprehendi.* Probatio 2. *sumitur á discordiâ, quæ est inter ipsos Doctores, & signum falsitatis, cum necesse sit, ut saltem unus discordantium falsum dicat* (qvarum discordantiarum inter Patres, imò unius, sibi adversantis, exempla magno numero allegat Picus) *Tertia probatio sumitur ex speciali prærogativâ sacræ scripturæ & sanctionum universalis Ecclesiæ, quibus solis concedimus veritatis infallibilis excellentiam: unde Aug. in ep. 5. libro ad Vincent. Hoc genus literarum ab autoritate sanctorum Canonum distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ex eis ita testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat,* & *in epistolâ ad Fortunatum idem* August. *Nec quorumlibet disputationes, etsi Catholicorum laudatorum hominum, velut scripturas Canonicas habere debemus: ut nobis non liceat salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare acrespuere.* Hæc Picus in Apolog. p. 93. 94. & seq.

§. 12. Extat in Jure Canonico d. 20. & deciditur dubium: *An expositiones sacræ scripturæ, quæ sunt in scriptis Augu-*

ſtini, Gregorii, Hieronymi &c. decretalibus Epiſtolis, & Canonibus Conciliorum ſint exæquandæ? Pro affirmativâ urgetur, qvod *plurimi tractatorum, ſicut fuerint pleniori Spiritus S. gratiâ, & ampliori præcellentes ſcientiâ*, ita qvoqve *rationibus magis adhæſerint & adeò majoris quoque autoritatis* eorum *verba* eſſe debuerint. Reſpondetur: diſtinguendo inter *ſacrarum ſcripturarum expoſitionem & negotiorum definitionem*, & concluditur: *quod divinarum tractatores ſcripturarum, etſi ſcientiâ Pontificibus præemineant & in ſacrarum ſcripturarum expoſitionibus præponantur, tamen propter defectum poteſtatis, in cauſis definiendis, ſecundum demum poſt Pontifices locum mereantur:* qvin ibidem c. de libellis, ſub nomine *Leonis 4.* ſtatutum reperitur, ſi *emerſerit vel contigerit inuſitatum negotium, quod minimè poſſit ſive per Canones Conciliorum, ſive per decretales pontificum expediri, tunc Hieronymi, Auguſtini, Iſidori, vel cæterorum ſimiliter ſanctorum Doctorum dicta, ſi reperta fuerint, magnanimiter eſſe retinenda.*

§. 13. Mirum autem qvomodo & ſuperiora illa cum hypotheſibus Pontificiorum de *Canali traditionis, & autoritate Eccleſiæ* ac *antiquitatis*, & hæc proxima cum ſuperioribus, ac illo Cajetani: *Licere ſacram ſcripturam contra torrentem ſanctorum patrum interpretari, conſiſtere poſſint.* Si enim lubricum adeò & fallibile Principium ſunt Patrum ſcripta, qvomodo infallibilis erit traditio, & autoritas Eccleſiæ formalis? cum & in Conciliis non ſint niſi Patres, & judicent juxta antiqviores Patres, & Pontifex ipſe determinans, pronunciet non ſine reſpectu ad Patrum expoſitiones. Qvod ſi ergò poſt talem determinationem ex Patrum ſententiis demum fiunt Canones infallibiles, illa autem dirigitur ab aliis patrum expoſitionibus, & licet non ab his dependeat, tamen, ubi determinationis talis Pontificalis autoritas probatur ex ſcripturis,

pturis, in sensu Ecclesiæ veterumq; Patrum intellectis, circulo circumitur, & in fallibilem autoritatem illa infallibilis papalis & totius Ecclesiæ Papisticæ fides resolvitur.

§. 14. Qvin, si in *expositionibus sacrarũ scripturarũ Patres ipsis Pontificibus præponendi*, (qvod concessum) Patres autem etiam cuncti (qvod concessit Picus) non sunt *infallibilis veritatis*, imò *licet S. scripturam interpretari contra torrentem patrum* (qvod concessit Cajetanus) jam non solùm expirat ultimum & authenticum judicium unius, Romani sc. Pontificis & subjicitur Patribus errabilibus: sed & uniuscujusq; privati expositoris judicio, qvod qvia supra Patres, etiam supra Papam ponitur, penitusq; principium Papisticæ fidei ab ipsis domesticis per has hypotheses destruitur. Sed & illud, qvàm indignum *unius summi visibilis & infallibilis Judicis Pontificis Romani autoritate, quod in ipso Jure pontificio habetur* de *ampliore Spiritus S.* in Patribus præ Pontificibus *gratiâ*, & *scientiæ in illis præcellentia*, qvæ sanè maximè conveniret judici summo, & uni infallibili, qviq; jactatur peculiari modo residentẽ habere Spiritum S. in pectorali? qvin qvi inerrabilis & summus judex non est in S. scripturarum expositione, nec talis esse potest in causarũ definitione, cum hæc sine illâ justè dari non possit. Sed definitio ex scripturis rectè intellectis s. ex Lege divinâ petenda sit Conf. Deut. 17, 11. Ostendit hæc confessio totum illud de uno infallibili commentum esse, & principium petere.

§. 15. Objecit qvidem Cajetano Canus, Cardinali Episcopus istud supra notatum velut *inconsultè dictum*, & ceu *communem* erroneamq; *hæreticorum & schismaticorum sententiam*, reprehendit in locis Theolog. l. 7. c. 3. Verum hanc Episcopi censuram ut inconsultiorem redarguit Eximius Dd. Pontificiorum Payva Andradius def. fid. Trid. l. 2. imò patroci-

trocinium Cajetani adversus eam, ut convitium & calumniam suscipit. Habet ibi qvæ merentur notari in hoc præambulo propter usum patrum in expositione S. scripturarum Notat (1) Patres multis in locis scripturas non exponere *secundùm literalem sensum* (qvi solus suppeditat argumenta ad religionis dogmata confirmanda) sed *allegoricè & Tropologicè:* ubi adeò licitum cuivis impunè, eorum allegoriis dimissis simplicem ac literæ germanam explicationem reqvirere. Notat (2) *Patres*, dum qvisq; eorum veros scripturæ sensus inqvirit, *non semper tamen invenire:* sed *valdè ab aliis diversos atque dissimiles reddidisse:* ubi adeò sit omnibus nobis integrum, sensum alium etiam veteribus dissimilem afferre. Probat illud inductione locorum Biblicorum, in qvibus ille sensum reddidit longè dissimilem sententiis Patrum: qvin & præcipuorum patrum sententiis confirmat, eos in scripturis explicandis divina responsa non edidisse: sed in iis falli potuisse. Urget præterea lapsus ejus versionis, cui addicti fuerint, qvæq; coegerit eos sæpiùs â sancti Spiritus sententiâ aberrare. Addit deniq;, *nisi præclarissimis ingeniis, ingrati esse volumus, fateri necesse plurima in Mose & Prophetis esse nostro hoc ævo doctorum hominum diligentia multò accuratiùs, quàm usquam antea, explicata.* Concludit tandem: *Spiritum cælestem, voluisse, qui unicus est scripturarum fidus q; interpres, quædam habere explorata posteritatem, quæ majores omninò latuerant, atque occultâ nobis, illi verò satis perspectâ ratione effeciss̄e, ut ex plurimis scripturæ locis veteres mysteria haurirent augendæ pietati, informandis q; moribus aptissima: posteritas verò genuinum & proprium eorundem sensum assequeretur.* Ita Andradius, qvi tamen hoc judicium prolixiùs perseqvitur in patrocinio Thomæ de Viro Cardin. Cajetani, contra Calu-

mnia-

mniatores superioris à Cajetano dicti: *Licere contra torrentem antiquorum patrum sacram scripturam interpretari.*

§. 16. Agnoverunt alii Pontificiorum præcipui: *In Patribus legendis servandam sententiam Quintiliani:* Magni autores labuntur aliqvando: summi sunt: sed homines. Patrum testimonia pro nihilo habere esse impudentis, pro certo habere, imprudentis: subministrare saltem argumentum probabile. Non qvæcunq; ibi leguntur, esse omnia probanda Conf. Salm. in ep. Pauli l. 1. part. 3. disp. 6. in fine, Canus loc: Theolog. l. 7. c. 3. n. 1. Agnovit Acosta de temp. noviss. l. 3. c. 3. *Principem locum obtinere scripturam divinam, cujus auctoritate invictâ nullum dari fortius, majusq; præsidium. Ad omnes Diaboli insidias & machinas superandas, valere insuperabile atque excelsum divini eloquii robur:* qvi idem in argumentis specialibus e. c. transubstantiationis, nunc planè rejicit, nunc alicubi commendat, nunc reprehendit patres veteres. Addatur his Sixt. Senens. Biblioth. l. 5. annot. 70. & seq. Benedictus Pererius in Genes. c. 6. disp. 9. & insigne exemplum lapsus tot Patrum in explicatione loci Gen. 6. 2. 3.

§. 7. Opuscula sanctorum patrum s. scriptorũ in Ecclesiâ recepta ad suam usqve ætatem unà cum seculo V. exeuntẽ recenset Gelasius Papa vid. in dist. 15. c. Sancta Romana sc. 1. opera Cypriani. 2. Athanasii. 3. Gregorii Nazianzeni. 4. Basilii. 5. Chrysostomi. 6. Theophili Alexandrini. 7. Hilarii Pictaviensis. 8. Ambrosii Mediolanensis. 9. Augustini. 10. Hieronymi. 11. Prosperi. 12. Epistolã Leonis Papæ ad Flavian. qvam vel ad unũ jota disputanti dicitur anathema. 13. Chronicon & partẽ hist. Eccl. Eusebii. 14. Origenis nonnulla opuscula. 15. Orosiũ 15. Sedulii paschale opus. 16. Juvenci laboriosũ opus. Porrò inter apocrypha retulit (qvod inprimis notandũ) Hist. Orig. Eusebii Pamphili, op. Tertulliani, Lactant.

Clementis Alexandrini, Fauſtum Rhegienſem, Leontius autem Bizantius actione 4. in rationariotemporum, jam inde â principatu Conſtantini adusq; 4. Synodum numerat, ex ſcriptoribus hos præcipuos: Athanaſium, Hilar. Pictav. Ambroſium, Baſilium, Gregorium Nyſſenum, Gregorium Nazianz. Amphilochium, Gelaſ. Cæſar. Chryſoſtomum, Epiphanium, Auguſtinum, Cyrillum & Theoph. Alexandr. Conf. tom. 4. Bibl. Patr. p. 101. Sed de his numeris, & horum extenſione poſt ætatem Leontii & Gelaſiii vid. infra.

§. 18. In Bibliothecâ patrum tom. 7. edit. 3. habetur liber inſcriptus: Ariſtææ de 72. ſacræ ſcripturæ interpretibus ad Philocratem fratrem hiſtoria, qvi non ſolùm citatur â Baronio Annal. tom. 1. ad a. 57. n. 107. ut probet: *Judæos non niſi manibus lotis adorare conſueviſſe* & â Bell. l. 2. de V. D. c. 6. ut probet, *LXX. Interpp. peculiari modo aſſiſtentem ſibi S. Spiritum habuiſſe, ne qua in re errarent:* Sed & tum ibidem, tum in lib. de ſcript. Eccleſ. â Bellarm. defenditur fuiſſe illius *Ariſtææ*, qvi tempore translationis illius celeberrimæ in aulâ Pt. Philadelphi vixerit, & negotio translationis interfuerit. Contra Leo â Caſtro præf. in comm. Eſ. c. 35. Lud. Viv. in c. 42. l. 18. de Civ. Dei, Salmeron Jeſuita in proleg. 6. in Evang. tom. 1. Scalig. in animadv. Euſeb. p. 123. & ſeq. librum hunc non eſſe veri Ariſtææ: ſed *confictum ab Hebræis* vel *Helleniſtis*, vel *ab aliquo ex Joſepho & Ariſtæâ vero, & aliis quibusdam compilatum*, eſſe *adeò falſum & ſuppoſititium, ſtatuunt*, & pluribus argumentis deducunt, qvæ apud Salmeronem & Scaligerum curioſus lector reperiet. Argumentum Bellarmini princeps pro Ariſtææ illius libro adhuc ſuperſtite eſt, qvod *omnia, quæ Joſephus, Tertullianus, Euſebius, & Hieronymus ex Ariſtæâ proferunt, in præſenti Ariſtææ libro ad verbum inveniantur:* Conf. Joſ. l. 12. Antiq. Tert. in Apol. c. 18. Euſeb. l. 8. de præpar.

præpar. Evang. Neqve verò par sententia & causa negantium hodie Aristæam. Cæteri enim, sic librum, qvi nunc extat, negant esse veri Aristææ, ut tamen concedant, ante Epiphanium, vel saltem Josephum, extitisse verum Aristæam, & adeò probent illa qvæ in Aristeâ vel nunc leguntur de Demetrio: sed & hæc & illa negat Scaliger.

§. 19. Rationes præcipuæ Scaligeri contra Aristæam sunt: (1) qvia refert Demetrium Phalereum, *P*hiladelphicæ Bibliothecæ fuisse Curatorem, & versionis LXX. autorem s. suggestorem, cum contra Demetrius Phalereus ex Consilio, Ptolomæo Lagidæ, Soteri (per antiphrasin) dato, de præteritione Philadelphi, ex Berenice, Soteris Filii, & Filiorum ex alterâ uxore Eurydice in regnum cooptatione s. ex his successoris declaratione, & infensissimum sibi habuerit Ptolomæum Philadelphum, vivente adhuc Lagide, & regnum cum liberis adversus Demetrii sententiam participante, & statim initio regni Philadelphi relegatus, aspidis morsu perierit, nec adeò vel ingentem *P*hiladelphi Bibliothecam Alexandrinam, vel illam translationem Canonis Hebræi tam celebratam curare potuerit. Citat Scaliger pro odio illo & morte Demetrii, 1. anno regni Philadelphi, *Laertium*, vel, qvi apud hunc nominatur, *Hermippum* scriptorem vetustissimū, *Suidam*, *Ciceronem*, licet hic non in somno ex morsu aspidis: sed ex *admotâ sponte aspide* periisse tradiderit. Urget 2. Scaliger, qvod referat: *senos interpretes ex omnibus 12. tribubus missos fuisse*, cum tamen haut aliæ tunc fuerint in Judæâ tribus præter Juda & Benjamin, &, ut detur omnium tribuum tribules aliqvos fuisse, eos tamen sic, ut Ptolomæo statim suppeditaret, ad manus & in numerato non habuerit Pontifex Eleazarus. Urget 3. stilum 3. illarum Epistolarum *Demetrij ad Regem*, *Regis ad Pontificem*, *Pontificis*, *ad Regem*, qvi unius hominis

minis sit. Urget 4. qvod translatio illa Alexandrina adeò Judæis Hierosolymitanis displicuerit, ut propter *illam*, *& legem adeò in profanum sermonem conversam*, solemne תענית s. *Jejunium* & *angariam* ad IIX. diem substituerint, & propter hanc interpretationem *Hellenistas*, *& Hebræos* inter *nunquam benè convenerit*, etiam postqvam nomen Christo dederunt, unde ille γογγυσμὸς Hebræorum & Hellenistarum apud Lucam in Actis c. 6. 1.

§. 20. Juxta Scaligerum, is qvi hodie in manibus omnium est, Aristæas, fuerit qvidem idem, qvo usus Josephus & post Josephum fortè Epiphanius, sed uterq; *suppositititius*, *à Judæis Hellenistis confictus*, ex qvo hoc negotium hauserit *Josephus*, & qvotqvot hâc de re post *Josephum* Patres magno numero tractarunt, addito etiam LXXII. cellarum commento, qvas ignoratas *Aristææ*, tradiderit Justinus, post hunc Epiphanius, risit autem, & meritò, Hieronymus. Fuerit adeò, ex Scaligeri hypothesi, Josephus talis, qvalem in Apologetico descripsit Tertullianus Tacitum, sc. *mendaciorum loquacissimus*, & usq; adeò suæ gentis ignarus, ut laudem gloriamq; sui populi fuerit interpretatus, qvod hic vel anniversariis jejuniis fuerit detestatus: qvin sic, non solùm *Demetrius*, & per hunc ille apud Josephum *Aristæas* in fermento fuerit, non solùm *illæ Epistolæ* suspectæ (qvas tamen & suo ad Regem, & Regis nomine ad Eleazarum scribere, qvin & Eleazari ad Regem Epistolas unus idemq; Demetrius sive scribere, sive transferre potuit, vel unus Aristæas singularum summam suo charactere describere) sed & tota Regis in postulatis vel desideratis Codicibus sacris pietas, in liberatis Judæorum captivis, ultra 120. milia, & donariis in templum magnificentissimis, liberalitas, qvæ tota illi fundamento supponitur: qvin sic rectiùs fabula reputaretur tota illa de celebratissimâ *translatione* τῶν LXX. Inter-

Interpretum decantatissima sententia, & versio illa, nescio qvibus, Alexandrinis Hellenistis, foret adscribenda, qvi ut autoritatem adderent, sub Aristææ, qvalem non negat sub Ptolomæo Vives & nec Scaliger, nomine, tantum, tot sententiarum portentum orbi universo jam ante Christum, & post Christum Patribus orientis & occidentis, ac per hos toti orbi Christiano persuaserint.

§. 21. Qvis crediderit, Josephum sive in tantâ propioris historiæ ignoratione versatum, ut ex nescientiâ, adeò prodigiosè falsa scripserit, sive usqve adeò Hellenistarum studio abreptum, ut fabulæ sibi non ignotæ autoritatem addere, & apud omnem posteritatem falsi scriptoris nomen possidere maluerit? Et fatetur Scaliger ipse, jam ante Josephum, *tempore Pt. Philemetoris* sic creditum, sc. Demetrio Phalereo procurante, adornatam illam Legis Judæorum in Græcum Idioma translationem. Non ergo mendacii temerè hîc accusandus, vel ignorantiæ crassæ redarguendus erat, φιλαλήθης Josephus, & tum Josepho, tum qvi, & ante, & post Josephum tale qvid scripserunt, præferendus obscurior & non nisi ex Laertio notus Auctor *Hermippus*, & *Aristæas*, sive vetus ille, sive qvalis nunc est, totus habendus suppositicius. Ciceronis autoritas non probat periisse Demetrium primo Philadelphi anno. Et 2. 3. ac 4. ratio Scaligeri pares haut sunt rei probandæ, facilimæq; expeditionis. Probamus ergò Aristæam, qvalis fuerit tempore Josephi, & qvantum huic ipsiq; adeò Josepho, consonat, nostrum: nec enim negare fas, hunc qvoq; misturam hinc inde passum, qvæ tamen haut sufficit ad probandum totum libellum suppositicium. Sanè tres illæ Epistolæ Demetrii ad Philadelphum, hujus ad Pontificem, hujus ad Regem & pluscula in Josepho & hodierno Aristææ pulchrè consspirant.

§. 22. In Josepho, præter Compendium historiæ Canonicæ, & post Canonicam, illius, tum adusq; Maccabæos, tum præter & post hanc adusq; sua tempora, insigne de Christo testimonium, qvod habetur l. 18. c. 4. omninò genuinum Josephi habendum, cum cæteroqvin & longè plurima, qvæ de Joh. Baptistâ, Jacobo, eorumq; novissimis sincerè recitat, parem plagam sint passura: nec ulla justa hic emboliſmi suspicio, vel pro illo facto, ratio, præter claritudinem testimonii, sic tamen comparati, ut Gentilis veritatem professus Historicus tale dare potuerit, nec probetur adeò inde Josephus Christianus: nec parum ad genuinum illud asserendum facit autoritas Eusebii & Hieronymi, utriusq; in judicio de veteribus scriptoribus & scriptis genuinis versatissimi conf. Hier. l. de Script. Ecclesiasticis n. 23. Nec abludit in illo stilus Josephi.

§. 23. Nec obstat, qvod in Joseph ben Gorjon, s. Gorjonidâ non legatur. Nec enim hic & Fl. Josephus idem individuum, ut, qvod sub uno nomine Græcè, sub altero Hebraicè scripserit. Ille fabulosus, & longè infra hunc. Illius pater *Gorjon:* hujus *Matathias.* Ille fatetur, se non *Sacerdotem*: hic *Sacerdos natus.* Ille habet qvæ contradictoria illis qvæ habentur in hoc. Qvod si alicubi habet ille saniora hoc, prout apparet in hist. Matt. 14 3. & rarissimum illud & casui imputandum. Nihil enim sic corruptum, ut non aliqvid inter currere possit boni. Qvin Jos. Scaliger & Vossius planè rejiciunt, & statuunt post A. C. ad minimum 600. librum istum conscriptum, ex Fl. Josepho compilatum, Rabbinicis nugis refertum, qvale illud, qvod *Franci interfuerint sepulturæ Herodis.*

§. 24. Observavit & hoc, & pluscula Ribera comm. in Obad. num. 110. p. 342. qvæ legi merentur. Summa est:

Jose-

Josephum Gorjonidam vixisse post ætatem Hieronymi. Probat 1. ex silentio Hieronymi. *Cur*, inqvit, *toties alterius Josephi meminit Hieronymus, ac inter Ecclesiæ scriptores numerat? ipsum autem ne nominat quidem unquam? cui ex veteribus Josephus ben Gorjon notus fuit?* Probat 2. certis argumentis, e.c. qvod *Gorjonides* l. 3. c. 15. scripserit ab *Hannibale in Hispania debilitatos Gothos* & l. 5. c. 42. meminit *Francorum in Galliâ*. At nec *Gothi* possederunt unqvam *Hispaniam*, neqve *Franci Galliam*, nisi ætate Hieronymi, aut paulò post. Mentio sanè in Fl. Josepho l. 2. de bell. Jud. c. 25. *Josephi ben Gorjon* post Cestium fugatum electi â Judæis summi Ducis, contra *Romanos*, unà cum *Anano Pontifice*, æqvè ac ipso scriptore belli Josepho Filio Matathiæ & præfecto utriq; Galilææ: Cæterum rectè notatum â Riberâ l. alleg. dari multos cognomines longo seculorum etiam intervallo discretos, e.c. Sachariam Filium Berachiæ, alium in Isaiâ c. 8, 1. alium Prophetarum minorum penultimum sub domo secundâ. Et potuit, prout alia, ita & nomen ipsum fingere scriptor ille supposititius, ne sc. videretur altero Josepho minor, ex eâdem belli historiâ summi Ducis & æqvè bellatoris nomen assumere.

§. 25. Neqve ergo probandum judicium, sive *Judæorum*, sive *Munsteri* in præfat. Jos. impress. Basil. 1541. hunc Gorjonidem, unum eundemq; cum Josepho antiqvitatum scriptore statuentium: Sed nec Genebrardi & Baronii, juxta qvos, licet non unus idemq; sed duo distincti, æqvales tamen fuerint, s. eodem tempore excidii Hierosolymorum (qvod commune utriq; Josepho est argumentũ) scripserint, paucissimis sc. à passo Christo annis Conf. Genebr. in Chron. & Ribera in Obad. n. 104. Baron. annal. tom. 1. ad A. 72. n. 27. sic tamen ut Baronius ex aliorum potius mente superiora de illo *Josepho Gorjonide*, alterius Iosephi æqvali scripserit, qvi nec

auto-

autorem illum, nec scriptum probavit, unde statim seqventia subjecit; *cum in multis autor ille reperiatur errasse, nec illum esse putemus Autorem, qui habetur inscriptus, lubentiùs abstinuimus.* Nec aliter Possevinus apparatu sacro, verbo Hegesippus: *Josephus ille Gorjonis*, inqvit, *supposititius est, & in multis errasse, non à me solùm, verum & ab aliis & adeò à Baronio Cardinali existimatus.* Consonat Maldonatus Comm. in Matth. 16, 14. *Quod quidam*, inqvit, *ex Josepho ben Gorjonis adferunt, ut probent, Jeremiam esse venturum, Apocryphum est, sicut totus ille Autor est fabulosissimus.* Ex hoc *tamen Apocrypho & fabulosissimo*, militant, si qvid sui fermenti invenire possunt ipsi Pontificii, qvomodo Parsonius ex hoc opere colligit, *in more fuisse Judæis, ut sanctos defunctos invocarent*, conf. ille part. 3. trium controv. Angl. p. 7. 8. & Bellarminus l. 1. de purg. c. 11. *alterum morem, ut pro defunctis orarent.*

§. 26. Frustra adeò pro antiqvitate Gorjonidis differit Nicol. Serarius in Trihæresio c. 9. conf. Ios. Scalig. in Elench. trihær. c. 4. & 5. conf. pluscula apud Ioh. Rainoldum prælect. 100. & Drusium l. 1. de tribus sectis Iud. c. 8. l. 9. obs. c. 8. ubi & docet (allegato Kimchi, & Gorjonide probante, Mesech esse *Hetruscos*) *aliter hunc Josephum ab interpretibus Hebræis citari, aliter in excusis exemplaribus legi:* qvi idem l. 10. c. 23. *in externis rebus rejiciendum, at nequaquam in rebus Judaicis, & linguâ S. cujus eximiam peritiam habuerit*, teste stilo. Vid. qvoqve Drusius l. 14. c. 9.

§. 27. *Sibyllarum* qvoqve *oracula*, de *felicissimis temporibus* magnæ fuisse apud primos Christianos autoritatis, nemini in antiqvorum Patrum scriptis vel leviter versato potest esse obscurum, qvippe *ad quorum lectionem ipsum S. Paulum Christianos adhortatum esse* testis est Clem. Alex. l. 6. stromatum. Extant illa in 8. libros digesta, & cœteris, ex Lactantio, Si-

tio, Sibyllinis aucta tom. 14. Bibl. Patrum ed. 3. ut tamen constet, multa sub Sibyllarum nominibus falsò esse inserta. Conf. de his Sixt. Senens. l. 2. Biblioth. Sed hæc in transcursu dicta sunto de *Aristeâ* & utroq; *Josepho*, cæterisq; qvæ videbantur ex ratione instituti præmonenda s. præmittenda. Succedat nunc ordo seculorum, & in his observanda Lex Methodi superior, de scriptoribus in 4. classes (1) *meliorum*, (2) *Mediorum*, 3. *infimorum* & peculiariter 4. *Epistolarum Pontificalium*.

SECULUM I.

CLASSIS I.

SEculum hoc usqve adeò scriptoribus Ecclesiasticis (qvales hîc distinguimus ab eminentioribus illis Canonicis) infelix fuit, ut vix compareant, qvi mereantur in primâ classe collocari. Voluit sine dubio Deus hoc ipsum, qvò fecundius erat IIX. scriptorum Canonicorum, qvi sive partē *historicam Evangelicam*, qvatuor libris contentam, sic tamen ut tertius, Lucæ scil. distinguatur in λόγον πρῶτον s. primum, & δεύτερον (qvi continet actus Apostolorum) sive *partem Epistolicam* 14. Paulinis, ac 7. Catholicis Epistolis absolutam, sive *Apocalypticam*, Canonis clausulam, consignarunt, eò magis aliorum scriptorum sterile esse, & Apostolicis adeò vel Canonicisq; scriptis hoc proprium assignare, vel nonnisi minoribus Patrum scriptis aliqvem locum concedere, ut sic, vel ipso intervallo, vel collatione qvoqve horum cum illis constare posset ingens discrimen scriptorum θεοπνεύστων (qvorum ultimus, qvi integrum hoc seculum absolvit, vel etiam illi supervixit, Johannes Evangelista V. Canonicorū librorum vel libellorum Autor) & aliorū nec θεοπνευσίας dono, nec adeò ἀναμαρτησίας in scribendo, privilegiis, nobilitatorum. Cum ergò non dentur

tur ſcriptores, in primâ claſſe ſcriptionis merito, collocandi, ne tamen hîc dentur nulli, meliores vel utiliores erunt ſeligendi, ſive reverà illi, qvos primo hoc ſeculo vixiſſe nemo dubitat, ſcripſerint, ſive ſaltim illi ipſi qvibus hæc adſcribuntur ψευδεπιγραφα, ſeculo 1. vixerint, qvod hactenus ad ordinem temporis, ſatis eſto. Procedat ergo (in cujus Epiſtolis Græcis, multas contineri pias ac illuſtres ſententias, & elegantem ſanè dictionem, agnovit M. Chemn. Exam. Trid. p. 4. in loco de abſt. & jejunio).

I. IGNATIUS.

§. 1. Hic Johannis Evangeliſtæ diſcipulus, Evodii in Antiochenâ ſucceſſor Epiſcopus, ê Syria, in 10. militum (qvos 10. Leopardos appellat) cuſtodiâ Romam deductus, & hîc ad beſtias ſ. Leones damnatus, anno Trajani, non tertio (prout ſcribit Nicephorus l. 3. c. 2.) ſed 11. (prout rectiùs in Catal. Script. Eccleſiaſt. Hieronymus) martyrio eſt coronatus anno Chriſti circiter 110.

§. 2. Tribuuntur illi Epiſtolæ: ſed de qvibus haut par judicium, qvæq; commodè in tres claſſes diſtribuuntur. Qvæ enim circumferuntur ſub Ignatii nomine, ad B. Virginem πρὸ θεοτόκον una (cui additur per modum reſponſi, Epiſtola B. Virginis ad Ignatium) ad S. Iohannem Evangeliſtam duæ, ſine dubio ſuppoſititiæ & non ſolùm ſine ſucco & ſanguine: ſed & contra dignitatem, ſanctitatemq; tanti Martyris ſunt. Rectè de his notavit Bellarm. l. de S. Eccleſ. (1) *quod ante Bernhardum nullus illarum meminerit.* (2) *Quod nec habeantur in Codd. Græcis.* (3) *Quod non redoleant gravitatem eloquij Ignatiani.* Scilicet primus illarum Bernhardus meminit: poſt Bernhardum, M. Carnotenſis l. d. Viris illuſtr. Dionyſ. Carthuſ. comm. in Dionyſ. Areopagitam, Sixt. Senenſ. in Biblioth. l. 2. in Mariâ, ubi utraq; & Ignatii ad Mariam, & Ma-

& Mariæ ad Ignatium extat Epistola. Et rectè de his Martialis Mœstræus Doctor Parisiensis in not. ad Epist. Ignatii: *Tametsi eas ut Germanas vindicari sciamus â pluribus recentioribus, cum tamen Græcè conscriptæ nunquam repertæ fuerint, nec illarum ullus Veterum Patrum ad Bernhardum usque meminerit, tutius meo judicio fuerit, easdem vel in Apocryphorum ordinem redigere, aut saltem velut non omninò certas & genuinas habere*, ut mirum, Epistolam Ignatii ad B. Virginem citatam â Canisio l. 5. de Deip. Mar. ut probaret: *Ipsam B. Virginem de aliorum bono valde solicitam*, & Adriano Lyræo in Trisagio Mar, l. 2. p. 292.

§ 3. Præter has tres infimæ classis, qvinq; aliæ numerantur Ignatianæ (1) *ad Mariã Cassabolitam.* (2) *Ad Antiochenos* (3) ad *Tarsenses* (4) *Ad Philippenses* (5) *ad Heronem, quas etsi ob stili similitudinem, & Spiritum verè Apostolicum â Viris doctis omninò recipi* scribit Bellarminus in Ignatio, qvi & allegat illam Ignatii ad Mariam Cassaboliten, s. ut alii appellant, Zarbensem, ut probet R. Pontificem, antiqvitus dictum Papam l. 2. de R. P. c. 22. & ad probandum, qvod Clemens Rom. qvarto loco successerit Petro l. 2. de R. P. c. 5. justa tamen & hic sive assumenti supposititii, sive ψευδεπιγραφὸς datur suspicio, qvippe, qvæ (1) Eusebio & Hieronymo accuratissimis scriptorum veterum inqvisitoribus ignotæ fuerunt, & ad eorum manus non pervenerunt. (2) Continent parum Ignatiana vel tanto Confessori convenientia. (3) Habent qvædam manifestè erronea, qvale, qvod in Epistolâ ad Tarsenses recensetur inter hæreses, â Ministris Satanæ disseminatas, sc. *quod Christus sit ille, qui est super omnia Deus*, cum tamen hæc non hæresis sit: sed ipsissima veritas Catholica: ita in Epist. ad Philipp, *verbum*, inqvit, *caro factum est. Verbum homo: sed non*

in homine, ad qvæ verba Scholiastes: *Hic hic*, inqvit, *locus vividetur mihi non carere mendo.*

§. 4. Sic in eâdem Epistolâ, non solùm jejunium *quadragesimæ, feriæ item 4. & 6.* imperatur: sed &, ut tantò clarius constet, illud non esse Ignatianum, aut Apostolicum: sed ex constitutionibus Clementis transsumtum Apocryphum, additur horrendi carminis lex: *Quicunq; Dominicam aut Sabbatum jejunaverit, præter unum Sabbatum Paschæ, ipse est Christi interfector*, χριστοκτόνος & altera: *Quicunq; cum Judæis Pascha egerit, comparticipabit eis qui Dominum & Apostolos ejus occiderunt*, qvorum neutrum sive spiritui Ignatiano, Viri sc. Apostolici, nec antiqvitati, vel Ignatii temporibus, nec loco convenit. De jejunio Sabbati, totoq; illarum observationum genere, longè rectiùs & sanctiùs ex Ambrosio consulto Augustinus Epistol. ad Casulanum & ad Januarium: *cum Romam venio, jejuno Sabbato: cum Mediolani sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morē serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.*

§. 5. Et notum, observationem diei Paschalis temporibus illis, sive Apostolicis, sive propioribus tunc, liberrimam fuisse, & Qvartadecimanos *in Asiâ* magis, seu *oriente*, qvàm *in occidente*, nec, qvi in die *Paschali* variabant, propterea, se invicem oppugnasse, cum & *Quartadecimani* (τεσσαρεσκαὶ δεκατῆται) pro sua consuetudine æqvè allegarent JOHANNEM, ac *Dominicani*, s. qvi die Dominico celebrabant, qvales præcipuè qvi Romam, & alias partes occidentis incolebant, *Petrum & Paulum*, & adeò Apostolicam, ex qvâ consuetudinem talem sibi traditam acceperint, utrinq; autoritatem, usqve dum *Victor Romanus* ἄμετρα θερμανθεὶς s. inmodicus iræ, omnes Ecclesias, *Quartadecimanorum* Asiaticas, ex communicavit: qvem, qvomodo compescuerit Irenæus, & tum rationibus

tum

tum exemplis ostenderit, *propter discrepantiam consuetudinum, de die festo, nec dissociatam hactenus, nec dissociandam, communionem Ecclesiarum*, publicè constat, ut adeò, qvando primò Qvartadecimanis lis mota, Ignatius jam per 84. annos occubuerit, & ipse fine dubio, non minùs ac dilectissimus Ignatio Polycarpus, Smyrnæ Episcopus, die 14. cum Judæis celebraverit. Conf. Socrat. hist. Eccles. l. 5. cap. 21. Neqve Irenæus Polycarpi discipulus sic notaturus fuisset Victorem, si hic Ignatium Johannis Evangelistæ Discipulum in ipsâ Asiâ habuisset, in tali anathemate Antecessorem. Qvin constat ex Euseb. & Gelas. Cyziceno adusq; Concilium Nicænum perseverasse in oriente morem celebrandi die 14. cum Judæis, nec Constantinum M. illum velut execrabilem improbasse: sed amicè potiùs, & propter concordiam majorem Ecclesiasticam, Orientales eò usqve die 14. celebrantes, ut transirent hîc in morem occidentis, & Ecclesiarum longè plurimarum, solicitasse, qvin impetratâ illâ sanctissimi Festi Paschalis concordiâ mirificè lætatum, & Ecclesiæ pariter ac sibi gratulatum esse conf. Gel. p. 3. c. 34.

§. 6. Sic (4) Autor Epistolæ ad Antiochenos salutat non *solùm Presbyterum & Diaconos*: sed & *Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, atque Confessores*. At fatetur ipse Lombardus post numeratos inde ab *Ostiario*, ad *Presbyteros*, septè gradus, *spirituales omnes & sacros*, non solùm *excellenter*, Canones, *duos tantùm sacros ordines* agnoscere: sed & hos *duos solos, Diaconatum sc. & Presbyteratum, primitivam Ecclesiam habuisse, & de his solis præceptum Apostoli extare, Subdiaconos verò & Acolythos procedente tempore Ecclesiam sibi constituisse*. Notamus saltim: qvos *laborantes* s. *Copiatas* ibi vocat Autor Ep. ad Antioch. non esse tales κοπιῶντας ἐν λόγῳ, qvales notati â Paulo 1. Tim. 5, 17. 1. Thess. 5, 12. sed,

Martialis Mœstreæ Sorboniſtæ judicio, Sandapilarios. Epiph. vocat κοπιάζοντας, Hieron: *foſſores*, qvi ſc. mortuorum funera c.rabant & ſepeliebant conf. Chemn. ex. decr. Concilii Trid. p. 2. tit. de ſacram. ordinis. Sunt & in illâ ad Mariam Caſſoboliten jejuna omnia, nec ſine peccato in cineres Ignatii, Ignatio tribuenda: dicitur ibi Anacleto ſucceſſiſſe Clemens Petri & Pauli Auditor, cum potiùs Clementi ſucceſſerit Anacletus: & qvis ille Sanctus Hieronymus, qvi Mariam, ſalutat? Nec deſunt in cæteris, qvæ ſunt contra characterem Ignatii.

§. 7. Præter *octo* has *Epiſtolas*, qvarum 3. in infimâ. 5. in mediâ claſſe collocavimus, ſeptem dantur Epiſtolæ in antiqvitate, apud Euſebium inprimis & Hieronymum, imò & Nicephorum celebratiſſimæ, qvarum una ad *Polycarpum*, 6. *ad Eccleſias* ſc. (1) *ad Epheſios*, (2) *ad Magneſianos*, (3) *ad Trallianos*. (4) *ad Romanos* (5) *ad Philadelphios*. (6) *ad Smyrnæos* ſcriptæ, omnes autem ex vinculis, & in itinere Romano inde ab Antiochiâ: de qvibus honorificentiùs qvidem ſentiendum, nedum illis penitus Ignatius Autor denegandus, ſic tamen, ut nec negandum, mutilas illas deminutasq;, nec ſine appoſitionibus ſpuriis & variâ lectione, cujus inſignis inter ipſos Codices Græcos & Latinos diſcrepantia eſt, ad nos perveniſſe. Citant vetuſti Patres qvædam ex epiſtolis his Ignatii, qvæ jamdudum in his non leguntur. Ita de hæreticis qvibusdam corporis Chriſti & ſanguinis præſentiam negantibus in Euchariſtiâ, ſcriptum â S. Martyre Ignatio in Epiſtolâ ad Smyrnenſes refert Theodoret. dial. 3. *Euchariſtias & oblationes non admittunt, quod non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſuâ benignitate ſuſcitavit.* Qvale qvid non ſolùm non in Græcis: ſed nec in Latinis Codicibus hodie reperitur. Pluſculas tales ſententias, qvas veteres ex Igna-

ex Ignatii Epistolis citarunt, cum tamen nunc, nec in Græcâ, nec in Latinâ editione legantur, notavit in parte 1. examinis Trid. M. Chemnitius. Sic nec Ignatii modestiæ ac in Canonicas scripturas reverentiæ convenit, qvod citato S. Spiritus ex Prov. 24, 21. præcepto: *Reverere Deum & Regem*, ille in eâdem ad Smyrnenses Epistolâ qvasi correcturus sententiam S. Spiritus, vel illi allaboraturus, addiderit: *Ego verò dico: Honorate quidem DEUM: sed post DEUM, EPISCOPUM, post hunc*, REGEM. Sunt tamen ceteræ ad Ecclesias scriptæ, & illæ inprimis ad Ephesios & Romanos, Ignatii Spiritu haut indignæ, vel saltem in illis, qvæ talia. Nec id, qvod obiicitur ex Epistolâ ad Philadelphienses, de mentione hæreseos, negantis Deum habitasse *in anima humanâ*, accuratiùs consideratum sufficit ad probandum metachronismum, sc. scriptam illam Epistolam post Apollinaris Laodiceni, qvi labente seculo 4. vixit, tempora: sed nec illud de Calendis Græcis in clausulâ Epistolæ ad Romanos, ad ψευδεπίγραφον probandum sufficit: qvid enim mirum, cum alii illorum & propiorum temporum scriptores Græci se accommodaverint Imperiali tunc Linguæ, & ex Romanâ in Grajam transscripserint voces origine & usu non Græcas: sed Latinas, etiam scriptorem Græcum ad Romanos, vel Ignatium in Epistolâ ad Romanos apposuisse illud: ἔγραψα ὑμῖν τῇ πρὸ ἐννέα καλανδῶν σεπτεμβρίων, & præter *septembrem*, usum *Calendis*. Notetur qvoqve exemplum variæ lectionis in illo sanctissimo Apophtegmate Ignatiano, qvod in Epistolâ ad Philadelphienses, sic habet in Codice Græco: ἤκουσα τινῶν λεγόντων, ὅτι ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχείοις εὕρω τὸ εὐαγγέλιον, οὐ πιστεύω. Τοῖς δὲ ἁγίοις ἐγὼ λέγω, ὅτι ἐμοὶ ἀρχεῖά ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστός, τὸ ἄθραυστον αὐτοῦ σταυρὸς καὶ θάνατος καὶ ἡ ἀνάστασις αὐτοῦ καὶ ἡ πίστις ἡ δι' αὐτοῦ. Ἀβίκτον μοι ἐστὶ ἀρχεῖον, ὁ σταυρός αὐτοῦ καὶ ὁ θάνατος καὶ ἡ ἀνάστασις αὐτοῦ καὶ ἡ πίστις ἡ δι' αὐτοῦ. Latinus autem Codex sic habet: *Audivi*

divi quosdam dicentes, si non invenero Evangelium in antiquis, non credã. Talibus autem ego dico: Mihi antiquitas Jesus Christus est, cui non obedire, manifestus & irremissibilis interitus est. Principatus enim est crux ejus, & mors ipsius, & resurrectio & fides in omnibus iis. Qvod Græcè est ἐν ἀρχείοις lectum, ac si esset ἐν ἀρχάιοις, vel sic qvoqve olim fuit in codice Græco: cum nunc & in editione Paris. anno 54. tom. II. sic legatur prout supra habetur, & adeò sit: *Nisi invenero Evangelium in archivis &c.* & porrò: *Mihi pro archivis Christus est.* Item paulò post: *Illibatum archivum est* crux ejus, &c. In re ipsa tamen parum interest: nec vitio vertendum nostris, qvod in allegatione hujus γνώμης Latinum potiùs qvàm Græcum Codicem seqvantur, cum non esse magnam fidem habendam Codicibus Græcis: sed majorem, Latinis, velut emendatioribus, monuerit in Ignatio Bellarminus.

II. POLYCARPUS.

§. 1. De S. Polycarpo certa sunt seqventia (1) qvod Johannis Evangelistæ discipulus & Auditor fuerit. (2) Qvod *Smyrnæus Episcopus*, & verè talis, qvalis commendatur in Apocalypsi c. 2. â v. 8. ad v. 12. (3) Qvod Ignatio σύγχρονος qvidem: sed sic tamen ut supervixerit, usqve ad imperium M. Antonini, (4) qvod Martyr coronatus, & (prout probabile) in persecutione qvartâ (5) qvod Epistolam ad Philippenses πάνυ θαυμασὴν s. valde utilem & admirabilem scripserit. Circa hæc enim consensus est Autorum, Irenæi, Eusebii, Hieronymi, etsi cum qvidam ex his & Socrates ipse l. 5. c. 21. agnoscat Romæ cum *Aniceto*, super qvæstione *de die Paschali*, sed citra contentionem, & salvâ cujusq; partis sententiâ, coram communicasse, non satis appareat, qvomodo, qvi sub Antonino, imperante ab anno 140. ad 161. coronatus, & *Martyr* ignibus est traditus, cum *Aniceto*, qvi demum sedit ab anno 167. commu-

communicare potuerit: ut haut mirari liceat, pro *Aniceto*, lectum olim *Anacletum* longè anteriorem. Sed hæc committimus. Dubium princeps unum, de illâ, qvæ nunc *sub nomine Polycarpi* extat, & eum Ignatianis circum fertur, Epistolâ, sitne hæc illa genuina, Hieron. judicio πάνυ θαυμαστὴ, Irenæi & Eusebii, *ad hoc instructissima, ut ex eâ fidei characterem ac veritatis doctrinam cognoscere queant ij, qui salutis suæ rationem habent?* Sanè non continet Epistola, prout nunc extat, manifestum aliqvem errorem: qvin habet, qvæ in Germanâ illâ Polycarpi Epistolâ olim lecta vel observata fuerunt ab Eusebio & Irenæo: optandum qvoqve foret, vetustissima exempla bonâ fide inqviri, & emendatiorem sic fortè editionem curari. Totum autem, prout nunc legitur, Polycarpo tribuere, vix permiserit accuratior antiqvitatis scrutator: habentur enim, qvæ attento lectori suspicionem additamenti haut levem facere possunt. Satis nunc esto: Haberi in illâ saltim qvædam, qvæ revera fuerint in illâ primâ & verâ Polycarpi. Prout in Ignatianis sic dictis non desunt qvædam meliora, magisq; Ignatio digna, qvale illud, qvod in Epistolâ ad Heronem Diaconum Antiochenum habetur de jejunio: Νηστείαις καὶ δεήσεσι χάλαζε, ἀλλὰ μὴ ἀμέτρως, ἵνα μὴ σαυτὸν καταβάλῃς, οὐκ καὶ κρεῶν μὴ πάντη ἀπέχου, ἃ γὰρ ἐστι βδελυκτά i. e. *Jejuniis & orationibus vacato, s. operam dato, sed non immodicè, ne te ipsum destruas. Vino & carnibus non penitus abstineto. Nec enim sunt abominabilia.* Allegantur ex sacris argumenta e. c. Ps. 104. 15. sed, pergit, *hæc sumenda sunt* μεμετρημένως καὶ ἐντάκτως, ὡς Θεῷ χορηγοῦντος, i. e. *moderatè & sobriè, tanquam Deo ea subministrante.* Et addit Consilium Viro Apostolico dignum: qvicunq; dicit aliqvid παρὰ τὰ παραγγέλματα, i. e. *præter ea quæ mandata sunt, etiamsi fide dignus sit, etiamsi jejunet, etiamsi virginitatem servet, etiamsi prophetet, & signa faciet,*

ciat, lupus tibi habeatur sub ovis pelle, ovium exitium machinans. Pulchrè consonant hæc illis, qvæ habentur in Epistolâ ad Philadelphenses: *Etsi quis in reliquis recta sentiat, τινὰ δὲ τῶν βρωμάτων* s. *cibos quosdam abominabiles, vocet, ille* (ἔνοικον) *inhabitatem habet Diabolum Apostatam.* Ostendit adeò fuisse, tunc, qvi â cibis qvibusdam, maximè â carne, vino, sive sub opinione abominationis, sive religionis, & propter ἄσκησιν abstinerent, & immodicis jejuniis corpora læderent: qvibus illa apposuerit & pluscula alia Ignatius. Conf. sup. in Ignat. §. 6.

Conf: Fecht: Disp: de Apparitionibus Christi post Ascens: ipsius factis § 13. Tom. Dispp: D. n. 20.

III. DIONYSIUS AREOPAGITA.

§. 1. De hoc, & illis, qvæ sub tanto nomine circumferuntur scriptis, qvædam sunt *certa*, qvædam *probabilia*, qvædam *falsa*.

§. 2. Certum (1) extitisse *Dionysium Areopagitam*, â Paulo, in Areopago Atheniensium, Oratore, conversum, unà cum *muliere* primariâ, cui nomen proprium *Damaris* (etsi non uxore Dionysii) *& aliis* (etsi non Areopagitis, s. ex novem illis, qvos sive Areopagi βουλευτὰς sive Arhcontas appellaverunt) illud enim clarè constat ex historiâ Act. Apost. c. 17, 34. Certum (2) & extare, & sub tanto vel certè Dionysii nomine per 100. annos extitisse libros libellosve, qvorum illi (1) de *cælesti Hierarchiâ*. (2) *Ecclesiasticâ Hierarchiâ*. (3) de *Mysticâ Theologiâ* (4) *de divinis nominibus*: hi autem, Epistolæ 10. ad varios, & hos inter binæ ad *Johannem Evangelistam, una ad Demophilum*. Certum (3) illam, qvæ ad B. Paulum habet inscriptionem, non esse genuinam Dionysii: sed meritò rejiciendam. Certum (4) ante S. Gregorium labente seculo 6. neminem horum operum nomine S. Dionysii Areopagitæ meminisse, non Euseb. non Hieron. non Ruffinu, imò non Gennadium, qvi tamen Catalogos scriptorum

rum Ecclesiasticorum reliqverunt, nedum *Origenem, Athanasium, Cyrillum, Alexandrinum, Joh. Chrysostomum*, & erraviſſe adeò hîc *Liberatum Abbatem in Breviario* c. 10. *& Anastasium Bibliothecarium in Epistolâ ad Carolum Calvum Imperatorem:* qvæ ſingula largâ manu concedit Bellarminus, & communis Pontificiorum chorus, pauciſſimis exceptis. Certum 5. Gregorium citare dictum ex cœlesti Hier: ſub nomine *Dionysii Areopagitæ:* ſed ex aliorum, non ſuâ mente, nec approbativè qvo ad dictum, nec qvoad libros vel Epistolas alias Dionysii.

§. 3. Certum 6. non obstantibus multis novis & fictitiis, seqvioribus temporibus inſertis, ſcriptorem esse *antiquissimum*, qvod & â Casaubono rectè obſervatum, nec minùs â Chemnitio, notante, *hoc inde disci posse, quod habet usum non contemnendum, sc. quomodo Ecclesia mentionem fecerit sanctorum circa Eucharistiam. Quocunq; enim tempore scriptus sit iste liber, certè tunc nondum fuit invocatio sanctorum in Ecclesiâ. Discitur & hoc ex illo scripto, quibus ceremoniis, circa sepulturas mortuorum, vetustas sit usa. Nulla ibi sunt suffragia, ut ex purgatorio liberentur.* Addidit Chemnitius: *Et illa possunt opponi in disputationibus contra adversarios.* Nec id solùm: sed & alterum insigniter notabile, qvod *omnes ceremonias, quas describit circa sacramentum, & alias, dicit tantùm significationis gratia adhiberi, nusquam verò, ex professo dicit, eas aliquid spiritualis gratiæ conferre.* Qvin & verba sunt venerabilis Theolog. Martini Chemnitii, *ex illo discitur, nec facilè alibi reperitur, unde venerit consuetudo susceptorum in Baptismo, & quodnam illorum officium?* qvæ ſingula vetustatem libri de Hierarchiâ Ecclesiasticâ ostendunt, &, si non dubium de uno eodemq; autore cæterorum librorum, parem horum antiqvitatem. Certum 7. Auctorem illorum scriptorum

rum, nunc qvidem ore rotundo (qvale Graiis gratia dedit) elegantissimum (præprimis in libro de divinis nominibus) nunc autem sic *asperum*, austerumq; stilo, paucis ut sit, qvo ad sensum literalem, penetrabilis, qvin, sic amat opaca, ut vix reperiatur in Palatio Patrum magis asper & *obscurus*. Et hic איבינו פלילים s. *hostes nostri* (Dd. Pontificii) *arbitri sunto*. Clarè, Trithemius Abbas l. d. script. Eccles. *Opera*, inqvit, *Dionysii magnâ leguntur obscuritate*. Qvin haud aliter commentator Dionysii Dionysius Carthusianus: *Quisquis*, inqvit, *fuit, asperior est, vix intelligibilis, nonnullis Theologis negotium facessit.*

§. 4. Certum 8. Autorem fuisse scriptorem Græcum, non Latinũ: cumq; non defuerint in vetustate illâ Dionysii, non solùm inter Græcos, qvales post Areopagitã seculo 2. a. D. 174. Dionysius Corinthio, seculo 3. Dionysius Alexandrinus: sed & inter Latinos, qvalis e. c. seculo 3. Dionysius ex Monacho ad Pontificatum assumtus, si horum scriptorum, Autor Dionysius, & illius qvidem ætatis unus, dandus omninò fuerit inter scriptores Græcos, non Latinos. Usus hujus apparet, tum alibi, tũ in qvæstione de *Missâ*. Urgent Pontificii tantam antiqvitatem Missæ, ut tempore ipsius Dionysii, & reliqvorum vetustissimorum Patrum celebratæ sint Missæ: qvia nomen Missæ extet apud Dionys. c. 3. Eccl. Hierarch. Contra, in Dionysiacis his, nec vocabulum Missæ, nec ipsa res Missæ Pontificiæ reperitur. Non illud: qvia Dionysius vel qvisqvis illorum librorum Autor, scripsit Græcè: at indubitatum, qvin nomen MISSÆ sit Latinum. Fallacia adeò dictionis insignis: Dionysius ἱερουργίαν meminit, qvam vocem Interpres Dionysii Johannes Scotus, qvi primus circa sec. 9. ex Græco in Latinum, Caroli M. jussu scripturam illam Græcam transtulit, per *Missam* expressit. E. Dionysius meminit Missam, atqve adeò

adeò in ipsâ ætate Apostolicâ jam obtinuit & nomen & res Missæ. Non hæc, qvia drama illud repræsentationis, & tota illa panoplia, qvæ juxta Innocentium, & Durandum 4. absolvitur scil. (1) *personis* (2) *operibus.* (3) *verbis* (4) *Rebus*, & singulis his *triplicatis*, qvæq; substantia est Pontificiæ Missæ, non reperitur in his Dionysiacis: sed planè alia descriptio rituum veteris Ecclesiæ in celebratione cœnæ Dominicæ. Nec infelix illud corpus Pontificii Canonis Missatici reperitur in his sic appellatis Dionysii Areopagitæ scriptis: sed ante Eucharistiam, in conventu Ecclesiæ, fiunt precationes & lectiones sacrorum librorum, & egredi jubentur Catechumeni, & pœnitentes. Inde proponitur panis & calix, & perficitur ἱερὰ ἐυχὴ s. *sacra precatio*, post qvam seqvitur, *communio*, & hanc *gratiarum actio*, qvæ cuncta claudit.

§. 5. Et ne qvis in argumento *sacræ precationis*, nidos præsumat Canonis Missatici, *Dionysius* (vel qvisqvis Autor horum librorum) illud haut tacet: sed ita describit: *Sacerdos stans ad altare celebrat divinas operationes Jesu pro salute generis humani, quas beneplacito patris in Spiritu S. juxta scripturas perfecit.* Deinde procedit *ad Symbolicam administrationem*, ubi prius per apologiam excusans se qvod ausit sacram illam administrationem aggredi exclamat: *Tu dixisti, hoc facite in mei commemorationem!* Postea petit, *ut idoneus fiat ad hanc* ἱερουργίαν θεομίμητον perficiendā, utqve sanctè possit distribuere & ut qvi sumturi sunt, dignè ac ut sanctos decet, possint participare. Qvin & in illâ sacrâ prece, vel ἱερουργίᾳ, mentio qvidem fidelium defunctorum: sed nec pro defunctis, talis, qvæ purgatorium supponeret, Oratio, vel propitiatoria sacrificatio: nec sanctorum mortuorum invocatio. Recitantur apud Dionysium ex tabulis nomina eorum, qvi in Christo obdormierunt. Et reddit Dionysius illerationem,

illud fieri, non vel ob *implorandum ipsorum patrocinium*, vel *ob purgatorium*: sed ut præsentes mortales, ad illorum *imitationem* provocentur, & ipsi sancti defuncti, prædicentur jam verè vivere, velut, qvi ex morte in vitam verè divinam jam sint translati: ut sic propter *imitationem*, & significandam sanctorũ *communionem* recitata fuerint nomina Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, cæterorumq́;, qvi piè in Christo obdormierant sanctorum. Ita c. 2. 3. Eccl. hier. Sacrum Eucharisticum vocat mysterium mysteriorum h. e. augustissimum, & præcipuum, & τελετῶν τελετὴν, ac *panem Eucharistiæ vivificum*, *dicit habere vim maximam perficiendæ sanctitatis*, vocat ἱερωτάτην εὐχαριστίαν, item ἱερωτελεστικωτάτην.

§. 6. Certum proinde (9) in Dionysiacis his (etiam prout nunc extant) sive nihil, sive parum esse, qvod pro Papismo in dogmaticis facere possit: qvin & in ceremonialibus, rectè observatũ â M. Chemnitio (in lib. de hierarch. Eccles.) *ibi cumulantur quidẽ valde multæ ceremoniæ redolentes jã Papisticã superstitionem*, sic *ut negari nec possit, nec debeat, semina superstitionum in illo libro esse sparsa*: si tamen, *collatio* illius scripti instituatur, *cum papatu*, manifestum fore, *multum crevisse superstitiones*. Verùm de ceremoniis, aliis, qvas sic multiplicavit, ut ne ipsi qvidem Pontificii retinere sive potuerint, sive voluerint, hîc nihil attinet monere: sed solùm de dogmaticis.

§. 7. Citat qvidem Bellarminus l. 2. de Monachis c. 5. Dionys. Areopagitam ex Epistolâ ad Demophilum Monachum, & libro de Eccles. Hierarch. c. 6. pro probandâ *origine religionum s. vetustate Monachorum*. Et licebat sanè hîc Chrysostomum opponere ex hom. 26. in Hebræos, qvi testatur, *nullum fuisse vestigium Monachorum, quo tempore Paulus scriberet*

beret ad Corinthios, qvin & Thomam Aqvinatem (de qvo canunt: Qvis *similis illi*,) qvi fatetur qvodlibet. 7. art. 27. ad 4. *iis temporibus non fuisse aliquos religiosos determinatos:* ceterum postqvam pro hâc allegant *Patriarchas antediluvianos*, *Nazaræos*, *Heliam & Helisæum*, totamq; tunc Prophetarum Scholam, *Rechabitas* item, & præprimis *Johannem Baptistam*, velut *Monachorum, & Eremitarum Principem*, videndum, an ex Dionysio plus habeant argumenti, qvàm ex sanctioribus illis exemplis, exempli? Qvin &, qvia velut antiqviorem *Dionysio* Areopagitâ citant *Philonem Judæum*, neqve per nostros negatur, Philoni respectum qvoqve ad Christianos, nihil ex Dionysio pro Monachis & votis Monasticis Papisticis. *Probandum erat*, talia, qvalia sub Papatu determinata sunt religionum nomina, exstare in Dionysiacis, eademq; velut approbata: cum ceteroqvi negare nemo possit, qvandam antiqvitatē Monasticā, non ex Christi mandato, non Apostolorū rescripto: sed ex privato Idiotismo, & Essænorum (religione Judæorum) fermento lentè introducta, & deinceps seculo 3. & 4. aucta & roborata. Ita Bell. libro 1. de verb Dei c. 13. probat ex Dionysio Areopagitâ de div. nom. c. 4. *librum sapientiæ esse Canonicum:* qvia sc. *Dionysius in libro de divinis nominibus, ut librum S. scripturæ citat:* cum tamen â libro in S. scripturæ Codice, ad librum, in propriè strictèq; sic dicto veteris Instrumenti Canone, non valeat illatio: & Origenes qvoqve præsumserit Pastorem βιβλίον & *scripturam Hermetis valde utilem:* & nihilominùs hic, vel hujus liber inter Apocryphos â Gelasio collocatus. Similes paralogismos observare licet alibi c. c. qvando Bell. de Eucharist. l. 2. c. 3. citat Eccles. Hierarch. c. 3. pro *invocatione sanctorum* l. 1. de purg. c. 6. pro *Purgatorio*, & Anglo-Rhemens. cœlestem Hierarchiam pro *sacrificio altaris*, in annot. in Lucam c. 22. 19.

§. 8. Cer-

§. 8. Certum 10. librum de divinis nominibus scriptum esse post Epistolam extantem sub nomine Ignatii ad Romanos, & si hæc constet scripta anno 11. Trajani, qvo Ignatius Martyrio coronatus, nec minùs constet, Dionysium Areopagitam fuisse Autorem libri de divinis nominibus, velut in qvo citatur ex Epistolâ illâ Ignarii illud: Ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, nullum dubium, qvin Dionysius obierit, non sub Domitiano: sed sive sub novissimis Trajani, sive sub Adriano.

§. 9. Inter probabilia de Dionysio & Dionysiacis his referimus 1. Dionysium Areopagitam fuisse è sectâ Stoicorum, etsi non professione, tamen studio, & in severissimo Senatu Areopagitarum Principem, (2) Eundem à Paulo conversum Athenienſium potiùs, qvod vult Eusebius, & cum hoc alii magni Autores, qvàm Corinthiorum, qvod voluit Beda, primum fuisse Episcopum. (3) Martyrio coronatum, idq; (4) sub Domitiano, qvia pro his præcipui faciunt Autores Dionys. Corinthius Eusebius l. 3. hist. c. 4. l. 4. c. 23. Ambrosius ep. 25. ad Ecclesiam Vercell. & alii.

§. 10. Ad falsa referimus (1) Areopagiticas illas fabulas, qvas ex Apocryphis recitant Surius, Hilduinus Galenius de longiore Pauli disputatione, priusqvam manus daret Dionysius veritati. 2. Illud traditum in *Menologio Græcorum* de *Dionysio Areopagitâ* primo *Episcopo Parisiensi & Martyre*, cum contra, demũ Decio imperante, Dionysius ille (ut clarè ostendit Jacobus Sirmondus) in Galliâ Martyrium passus & alius adeò ab hoc Areopagitâ & altero Dionysio Corinthio fuerit, ille Gallorum Apostolus & Martyr Dionysius. 3. Et illud in eadem notatum de *primo Athenienſium Episcopo*, Hierotheo, Præceptore Dionysii, à qvo hic acceperit doctrinam fidei. 4. Dictum *Areopagitam*, non propter dignitatem Senato-

Senatoriam in Curiâ Athenienſi, cui nomen Areopagi: ſed propter illam, in qvâ natus, Athenarum regionem. §. Paradoxam illam narrationem de Dionyſio, ad *viſam Eclipſin*, duce *Hierotheo*, converſo ad Chriſtum, & ad viſionem Chriſti, poſt reſurrectionem admiſſo. 6. Nec minùs obſervationem Billii (c. 23. obſ. ſacr.) de Gregorio *Nazianzeno*, *locos non paucos* ex *Dionyſio Areopagitâ* mutuante. Inprimis autem falſum aſſerimus (7) Dionyſium *Areopagitam* illum, â Paulo Athenis converſum, Autorem eſſe illorũ, qvæ ſub tanto nomine circumferuntur ſcriptorum, e. c. illius de *hierarchiâ celeſti*, *de hierarchiâ Eccleſiaſticâ*, *de divinis nominibus*. Neqve verò adeò urgemus argumentũ â ſilentio Patrum 6. priorum ſeculorum, & illorum inprimis, qvi peculiari ſtudio fuerunt Magiſtri ſacrorum ſcriniorum e. c. Origenis, Euſebii, Hieron. Ruffini, Gelaſii, Gennadii: ſi enim, non obſtante ſilentio illo, potuit Autor alius eſſe vetuſtiſſimus, & ſic dictus *Dionyſius*, hactenus qvoq; potuerit Autor eſſe Dionyſius Areopagita, vel ſi non hic, nec vetuſtior alius, qvippe Patres non ſolùm tacent de Dionyſio Areopagita ſcriptore horum librorum: ſed & planè de qvocunq; alio, & ipſis his ſcriptis. Sic nec cogit alterum argumentum de anno mortis, qvi nonniſi probabiliter aſſignatur ſub Domitiano, prout contra, ſi conſtaret de Dionyſ. Areopagitâ, autore libri de div. nomin. ſtatuere liceret, non obiiſſe illum ſub Domitiano, qvi Trajanum anteceſſit: ſed Adriano, qvi Trajano ſucceſſit.

§. 11. Rectiùs pro probandis ſcriptis illis non Areopagiticis: ſed ſuppoſititiis, urgetur (1) ipſius argumenti ἐξεταστία. Licet enim tituli e. c. de Hierarchiâ cœleſti, de Hierarchia Eccleſiaſticâ, de divinis nominibus, non ſint Apoſtolico Viro, & adeò nec Dionyſio Areopagitâ indigni, tamen in tractatione argumenti, tot ac tanta intercedunt, nec embo-

liſmis posterioribus imputanda: ſed ipſi Autori, primæq; adeò ſcriptioni, ut exinde facilè appareat, nec eſſe ſcriptum illud celebratiſſimi illius Dionyſii Areopagitæ, nec ætatis Apoſtolicæ: ſed ſeculi posterioris. Sic dantur qvidem in libro de hierarchiâ Eccleſiaſticâ, qvædam propter hiſtoriam antiqvitatis lectu digna: ſed qvot ac qvantis fabulis vel ſuperſtitionibus involuta. *Valde*, verba ſunt Chemnitii, *liberalis eſt Autor cum ſuo oleo, & multis verbis, crucibus ac ceremoniis quaſi incantat aquam baptiſmi, ut lavacrum regenerationis, quin deſcribit ſacramenta tam multis ceremoniis, non dicam qualibus, onerata, ut verus uſus nullo modo conſpici poſſit. Inſuper tam operosè ibi deſcribuntur ceremoniæ, ut ne in Papatu quidem retineri potuerint. Ridiculum eſt, quod dicit, Pontificem, quando peculiari prece ſanctificat aquam baptiſmi, aliquoties ingeminare oden propheticam Hebraice, & tantum tribuit voci Hallelujа.* Conſtat autem talem ceremoniarum in ſacramentis multiplicationẽ, obſcuraturam ſanè ceremoniam ſacramento formalem, & tranſituram in parem cum hâc æſtimationem, nec autoritati nec ætati Apoſtolicæ convenire: ſed non minimâ parte ex ſcholâ Montani proceſſiſſe, & â ſuperſtitione purgatas illas myſteriisq; ſive declarandis, ſive ſignificandis adaptatas, in Canalẽ traditionis Eccleſiæ Veteris, ſalvâ indifferentiâ, & ipſius myſterii eminentiâ, influxiſſe, qvas, prout liberè, ſacramenti, exteriùs ſive declarandi ſive decorandi causâ, Eccleſia vetus admiſit: ita pari libertate pro ratione circumſtantiarũ, vel neceſſitatis externæ, ſive abdicavit, ſive in alias ceremonias commutavit, ſic ut in Sacramentis aliæ Latinorum, aliæ Græcorũ, aliæ ætate Tertulliani, aliæ tempore Baſilii obtinerent, nec deinceps in Ceremoniis par conſtantia maneret. Non dubium, qvin Baptiſmus Apoſtolicus *ſolo verbo & elemento* (qvo &, rectè illud agnoſcente Lom-

Lombardo l. 4. dist. 3. *absolvitur*) constiterit, & sive pauciss-imas, sive nullas Ceremonias superadditas habuerit, nec minùs *mos Apostolorum* (teste Gregor. M. l. 7. Regist. ep. 64.) *fuerit, ut ad solam Orationem Dominicam oblationis consecrarent hostiam*, nec alias ad *Eucharistiam preces usurpaverint*: sed *nudè & simpliciter* hæc sacra publica *tractaverint*, usqve dum Sixtus I. leges de còrporali ex lineo puriss-imo, & canticum Seraphinum, & alia alii addidere, de qvibus vid. Platina in vitâ Sixti I. *Petrus*, ait Platina, *ubi consecraverat, oratione Pater noster usus, est*: unde & Gregorius in responso ad Syracusanum Episcopum agnovit precem s. Canonem qvem vocant, Missæ SCHOLASTICO (dubium, cui) imputandam, *Orationem* verò *Dominicam*, TRADITIONEM *ab ipso Redemtore nostro compositam*, & proinde *super oblationem, vel Redemtoris corpus & sanguinem in sacramento nequaquam tacendam*.

§. 12. In altero autem *de Hierarchiâ cœlesti libro*, qvæ habet *de 9. ordinibus*, de *graduum officiorumq;* inter hos distributorum *differentiis*, ceterisq; arcanis Angelicis, ostendunt sanè Autorem scripti non processisse ex Scholâ Pauli, qvi *raptus licet in Paradisum tertiumq; cœlum* non solùm non revelavit arcana talia Angelica: sed & (ne qvis cum Nicephoro l. 2. hist. c. 20. abeat in delirium: Paulo qvidem soli arcana illa in tertio cœlo revelata: sed â Paulo nonnisi cum Hierotheo & Dionysio Areopagitâ, ab hoc autē, per librum de hierarchiâ cœlesti, cum Ecclesiâ Catholicâ communicata) confessus se ibi audivisse ἄῤῥητα ῥήματα, & qvidem ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι 2. Cor. 12. 4. qvæ nihilominus elocutus Hierotheo, Dionysioq; Discipulis fuerit Paulus, & qvidem huic ad communicandum cum Ecclesiâ Catholicâ, neqve verò, ut statim hæc arcana patefierent: sed demum post 600. annos: unde & non solùm Pontificiorum modernorum Exi-

mii liberrimè ſive translocant ordines (Conf. Barlet. in hom. Mich.) ſive repudiant: ſed & antiqviſſimi Patres ante Dionyſium revelatum, reclamant, futurisq; demũ in alterâ vitâ revelandis hæc reſervant: qvin præter illos Patres Græcos & Latinos anteceſſores, Gregorius ipſe, qvi Autorem horum librorum *Dionyſium*, primus, & eundẽ velut *antiquum ac venerabilem Patrem* citavit, tanto tamen hîc Magiſtro neglecto ſcripturis Canonicis acqvieſcere maluit, qvàm, qvem primus ſic appellaverat, incerto *Dionyſio*, qvia & hic ipſe ne qvidẽ auſus aſſerere, qvod (poſt tot ſecula parum verecundè) Nicephorus, ſc. ſe illa arcana Angelica â Paulo accepiſſe, & qvidem ſic ut eſſent ex illis ἀῤῥήτοις Paulo in tertio cœlo traditis, ἃ οὐκ ἐξὸν λαλῆσαι. Conf. ex Pontificiis, Ribera comm. in cap. 1. Epiſt. ad Hebr. & qvæ de retractatione ſententiæ Gul. Grocini notavit Eraſmus in not. ad c. 17. Act. ad v. ult.

§. 12. Utroq; qvidem libro melior hîc videbatur ille de *divinis nominibus*: ſed dantur & hîc, qvæ ſuſpectum ſuppoſititiumve fetum oſtendunt. Scribit Autor l. alleg. c. 3. *ſe cum Timotheo & aliis ſanctis Fratribus ſuis, corporis, quod Autorem vitæ DEUM recepiſſet, videndi causâ convenisse*, intelligens Mariam mortuam: ſed nondum ſepultam. Atqve Dionyſius Areopagita nondum erat in numero S. Fratrum, qvando Maria diem ſuum obiit. Dionyſius enim non fuit converſus ad fidem, usqve ad 52. annum Domini, teſtantibus Anglo-Rhemenſibus, Tabulâ de Paulo ad finem Act. Apoſtol. p. 373. & Baronio annal. tom. 1. ad a. c. 52. Maria autẽ evocata eſt ad annũ Domini 48. teſtante Baronio, & citante Euſebiũ qvin & agnoſcentibus ipſis Anglo Rhemenſibus, annot. in Act. Apoſt. 1, 14. Nam tribuunt illi tantum annos 63. vitæ ſuæ, ex qvibus qvia 15. peregit ante Chriſtum natum, ut

communis fert opinio, superest, ut illa Anno Christi 48. diem suum obierit.

§. 14. Urgetur 2. ipse stylus obscurus, asper & intricatus, nec Atticus, nec Apostolicus, & longo post Apostolorum ætatem tempore demum in Græciâ usitatus, ut rectè Casaubonus notaverit, penitus rudes linguæ Græcæ esse oportere, qvi talem tribuant illi Dionysio Athenienſi Areopagitæ. Nec satis hîc, cum Nicephoro dicere, illam elocutionem admirandam, illam compositionem, longè ab iis, qvæ pro hominum captu edita sunt, dissitam, deberi sublimi divinarum rerum contemplationi, & sententiarum dignitati: cum sublimia qvoqve fuerint, planeq; mysteria, qvæ tamen intelligibili magis sermone elocuti sunt, Apostoli & Prophetæ. Ostendit supposititia illa & non Areopagitica Dionysiaca, 3. metachronismus ingens, qvem ipse passim designat Autor, non solùm in mentione Clementis Alexandrini: sed & longo ordine Pontificum, per qvos traditum acceperit, qvid e.c. de Pædobaptismo sit credendum, vid. ille in fin. Hierarch. Eccles. & lib. de div. nom. ut adeò Autor non fuerit Apostolorum, vel Pauli discipulus. Accedit, qvod Johannis Evangelium & Apocalypsin citet, velut jamdudum scripta: cum tamen vix dubitare liceat ex veterum traditione, scriptum utrumq; â Johanne librum, multis post mortem Areopagitæ demum annis. Facit pro illo 4. Autor librorum illorum de Paulo Præceptore ferè prodigiosè tacens & contra obscuro cuidam Hierotheo velut Magistro Doctorive suo omnia adscribens. Qvod non convenit Dionysio Areopagitæ, â Paulo sanè converso & si cujus, Pauli discipulo, qvi nec Dionysio Doctor deesse poterat, qvia non Athenis solùm: sed & in vicinâ Epheso, bimariq; Corintho docebat. Aderat præterea Johannes Evangelista, qvi plerumq; Ephesi & in Asiâ minori egit,

ut hoc potiùs, qvàm Hierotheo illo Doctore utipotuerit. Accedit mentio templorum, & distinctarum in his partium: sed & illorum ordinum sacrorum inferiorum, qvos æqvè, ac ipsa operosa templorum ædificia infra ætatem Apostolicam consistere certum est. Addatur nunc his, silentium totius antiqvitatis de Dionysii Areopagitæ scriptis, & judicium de anno mortis, qvi si talis fuerit, sanè Dionysius, Areopagita saltem, libri de divinis nominibus Autor esse non potuerit.

§. 15. Sed nec deest contradictorium hîc domi Pontificiis judicium. Licet enim pro Dionysio Areopagitâ Autore non solùm horum, qvæ nunc extant: sed & plurimorum aliorum, qvæ nunc desiderantur, scriptorum militet Sixt. Senens. Bibl. S. l. 2. in Dionysio (qvi & ibidem allegat pro his Areopagiticis Anastasium Bibliothecarium, Johannem Scotum, Joh. Saracenum, Dionysium Carthusianum Ficinum, Ambrosium Camaldulens. Marsilium) Jacobus Gaulterius Jesuita in Chronolog. p. 39. §. 23. Lorinus comm. in Act. Apost. c. 17. p. 741. qvi libros hos Dionysii Areopagitæ *pretiosissimum* vocat *thesaurum*, *fortissimum fidei, religionisq; propugnaculum, omni curâ & provisione custodiendum, locupletem item hæreditatem contra hæreticos protegendam*, Alanus dial. 2. desuffrag. pro mortuis, qvi addit: hæc *opera antiquitatem & Spiritum Apostolicum redolent*, ex professo autem Bellarm. l. de script. Eccles. & l. 2. de Monachis c. 5. Baronius tom. 1. & 2. Annal. ac in notis Martyrolog. 9. Octobr. (ad qvem consulendum Lectorem ablegat *Lorinus*) & qvi pro *Dionysio Areopagitâ* Autore peculiarem contra Bezam, & Scaligerum edidit Apologiam, Mart. *del. Rio*, vid. idem disqvis. mag. l. 6. c. 3. & Dureus contra Witakerũ, Billius 1. observ. sacr. cap. 23. tamen & his, in argumentis non convenit (cum ab his posterioribus, velut certum supponatur: non

solùm

solùm *Greg. Nazianzeno: sed & plurimis tùm ante, tum post hunc patribus nota fuisse hæc scripta, & ab illis velut Dionysii Areopagitæ agnita, quin & ex his benè multa ab illis depromta*, contra verò fateatur Bellarm. *Opera hæc ante S. Gregorium Romanum latuisse alicubi, ut multa alia sæpè longo tempore delitescunt, & circa tempora S. Gregorij demum reperta fuisse, & exinde neminem ante S. Gregorium horum operã, nomine S. Dionysii Areopagitæ, meminisse*) & non defuerunt Generosiores Pontificiorum, qvi sive judicium suspenderunt, sive apertè contradixerunt, s. Dionysii Areopagitæ illa scripta esse negarunt.

§. 16. Mirum adeò qvod Bellarminus liberè secureq; sic ausus fuerit scribere: *De his operibus*, VIRI DOCTI, ET CATHOLICI *nihil dubitant. SOLI hæretici Lutherani, & quidam scioli, ut Valla, Erasmus, & pauci alii, opera supra memorata negant esse S. Dionysii Areopagitæ.* Præterqvam enim, qvod judicium hoc in tam paucis lineis & Sophisticum est, & contradictorium, seipsum Bellarminus, hîc traduxit, periculoq; expositi. *Scioli* illi, forte eximuntur classe *hæreticorum*, & sunt ipsi qvoqve Pontificii, qvales, *Valla, Erasmus:* & qvia non hi solùm: sed & *alij* Pontificii sive dubitant, sive negant, addendum fuit: *Et pauci alij.* Qvomodo ergò *soli hæretici*, iidemq; Lutherani, si non hi soli: sed etiam *Scioli & alij*, etsi *pauci*, omnes tamen Pontificii? Et qvomodo hi non *hæretici:* sed *Catholici:* si *Catholici nihil dubitant*, soli a. hæretici sive dubitant, sive negant? Sed & Bellarminus ipse, qvi in lib. *de scr. Eccles.* & lib. 2. de *Monachis*, vehementer pugnat pro Autore *Dionysio Areopagitâ*, & hactenus ex judicio in *lib. de scriptoribus Ecclesiasticis* expresso fuerit VIR DOCTUS & CATHOLICUS, ex eodem fuerit αὐθεντικῶς & *hæreticus*, vel *saltẽ sciolus:* si tales sunt omnes *dubitantes* s. *negantes*. Sanè

ipse

ipse l. 2. de confirm. c. 7. fatetur: *non solùm librum Dionysii de Hierarchiâ Ecclesiasticâ, esse apud nonnullos dubiam, Apocryphum & supposititiam scripturam:* sed & non *esse certum, an libri illi, qui Dionysii Areopagitæ nomen præferunt, sint Dionysii?*

§. 17. Ita Lorinus implicat præjudicio: *Protegunt*, inqvit, *contra hæreticos, hanc adeò locupletem quasi hereditatem & contra Erasmum, Vallam, Cajetanum, Alanus Copus, & noster Delrius.* Addidit illis Bellarmini *Sciolis* Cajetanum. At qvantum olim sub papatu, & in ipso reformationis limine Virum, scilicet Thomam de Vio, Patriâ Cajetanum, ordinis prædicatorum priorem Generalem, ac postea Cardinalem Presbyterum S. Xisti Nuncium Apostolicum, & A. 1518. Lutheri, de latere Papæ Leonis, Antagonistam primum, Bellarmini indicio, *Virũ summi ingenij, minoris pietatis* Conf. Bell. l. de nec E. ad A. D. 1500. qvi tantus domi Vir, collocandus fuerit in hoc judicio, qvo, non *certum* esse scripsit, *Dionysium illum, qui scripsit libros de divinis nominibus*, fuisse Areopagitam sive inter *Sciolos*, sive (qvandoqvidem soli hæretici hîc dubitant) inter *hæreticos*, & præferendus illi Cardinali tantorum meritorum, ex disqvisitionibus Magicis allegatus â Lorino, nec sine causâ suspectus de Magiâ, Delrius. [Vid. Lor. com. in c. 17. Act.

§. 18. Ita Sixtus Senensis locis supra citatis, ponit: Dionysium Areopagitam, illa ipsa, qvorum indiculum statim submittit, *divinæ & mysteriis abscondite sapientiæ admiranda volumina Græco & sublimi eloquio doctissimè conscripsisse:* fatetur tamen, *Cardinalis Cajetani*, opinati, *Dionysium Areopagitam*, nihil *omninò ex supra memoratis scriptis reliquisse*, conjecturas fuisse NON LEVES (etsi marginalis epitomator *omissâ negationis particulâ*, contrarium â latere summarium posuit: sc. *Cardinalis Cajetani leves sunt conjecturæ, quibus in-*

bus inductus negavit Dionysium ea scripsisse opera, quæ ei passim tribuuntur) & longè ante Cajetanum per ALIOS adductas. Fuerint ergò longè ante Cajetanum, qvi contradixerunt his Areopagiticis, & hi sine dubio Pontificii: atqve adeò falsum Bell. affertum: *de his operibus nihil dubitant Viri docti & Catholici*, qvia dubitarent etiam Catholici.

§. 19. Agnovit idem Sixtus Senens. l. 6. Bibl. S. Annot. 229. Bedam, Autorem horum operum habuisse Dionysium Corinthium. Etsi autem suppositit Beda, Dionysium illum Corinthium fuisse idem cum D. Areopagitâ individuum, tamen de hujus hypotheseos falsitate vix ullum supereſt hodie dubium. Et adeò, si autor Dionysius Corinthius, certè non Areopagita. Et addidit Sixtus, qvæ frigida nimis, sic ut dubitare liceat, an unqvam Sixtus Senensis tenuerit constantervè senserit, Dionysium Areopagitam illorum Autorem scriptorum: *Dionysii Areopagitæ putantur esse libri, qui nunc de Hierarchiis & divinis nominibus habentur, de quibus Thomas Cajetanus & PLERIQUE ALII dubitant, an ejus sint, cujus titulo inscribuntur? eò quod Hieronymus in libro de Viris illustribus nullam Dionysii hujus fecerit mentionem.* Ita & Possevinus app. sacro ad titulum *Photius: Opera*, inqvit, *Dionysii, ut Pseudepigrapha videntur â Photio notari.* Et Photius qvidem *Theodorum Presbyterum* respondentem 4. objectionibus, contra Autorem *Dionysium Areopagitam* motis (scil. qvod 1. *nullus Patrum illum citarit.* 2. *Quod ne Eusebius quidem Pamphili illum inter scriptores Veteres numerarit.* 3. *Quod ipse Autor, traditiones multis demum post Dionysium Areopagitam Apostolorum æqualem, seculis invectas narrarit.* 4. *Quod Ignatium allegaverit*) in ipso statim limine operis memoravit: qvin & addidit: *Theodorum pro virili* (πρὸς ἀνδρὸς) *probavisse, genuinum illum esse magni Dionysii fetum* (γνήσιον ὄντα μεγάλου Διονυσίου τὸν βίβλον): ceterùm ipse Photius judicium suspen-

dit, & inter scriptores claros & probatos Dionysium haut collocavit, etsi alicubi Dionysium, sine addito Areopagitæ, inter Patres in *Synodicâ Sophronij*, & hujus fide citavit. Qvin & Bellarminus, allegato Vallâ, l. 5. de Monachis c. 2. concedit *plurimos Viros Doctissimos sensisse hæc opera non esse Dionysii Areopagitæ:* sed tamen autoris ferè æqvè antiqvi, nimirum vel *Apollinaris Hierapolitani*, vel *Dionysii Corinthij*, qvorum uterq; floruerit anno Domini 174. qvod novum contradictionis exemplum est. Scripserat scil. Bellarm. in l. de Sc. Eccl. *De his libris Viri docti nihil dubitant, quin sint Dionysii Areopagitæ:* hic autem dicit: *Viros* DOCTISSIMOS *eosq;* qvam *plurimos non dubitasse solùm:* sed & *negasse* illa *Areopagitica.*

§. 20. Argumentum Bellarmini princeps est, qvod hæc opera probentur â S. Gregorio Papâ hom. 34. in Evangelia, & citentur *nomine Dionysii*, unde concludit. E. *autor horum librorum non est recentior B. Gregorio.* Pergit 2. Gregorius eum citat, sic ut vocet *eum antiquum & venerabilem patrem.* Ergo non fuit seculo *Gregorij proximus*, nec *adeò recentior, quàm Hieronymus.* Pergit 3. Non *potest floruisse, paulò ante Hieronymum* i. e. 4. seculo, nec enim Hieronymus *ignorare potuisset scriptorem, qui suâ memoriâ extitisset.* Qvin notus eâdem ratione fuisset *Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, aliisq; patribus, quibus tamen incognitus fuit, quantum ex eorum operibus colligi potest.* E. fuit *auctor antiquissimus, ab hæreticis suppressus, ac tandem tempore B. Gregorij Romæ repertus*, ut adeò argumento â silentio Patrum utatur contra nos pro antiqvitate hujus scriptoris summâ & ætate Apostolicâ, qvalis fuit Dionysii illius.

§. 21. Ceterùm, qvæ num. 2. & 3. incedit ratiocinatio, probat qvidem antiqviorem Gregorio: sed non ultra, & ne antiqviorem qvidem *Hieronymo*, etiamsi Gregorius Autorem illum

anti-

antiquum & venerabilem scriptorem appellasset. Qvid enim, si in illo intervallo, inter Hieronymi obitum, & Gregorii illa scribentis tempora, qvod fermè fuit 180. annorum, qvidam *Pseudo-Dionysius*, vel, si *Dionysius aliquis*, tamen ψευδαρχαιογίας talia sub *antiquissimi & venerabilis illius Dionysii Areopagitæ* nomine scripsisset, vel velut novum repertum orbi obtrusisset? Potuisset facilè post 170. vel 180. annos illud ψευδεπίγραφον à Gregorio credi, & citari velut verum opus Dionysii Areopagitæ, & esset nihilominus ipso *Hieronymo* posterius. Etsi, licet daretur Hieronymo prius, imò & ceteris seculi 4. Patribus, nihil tamen inde pro Dionysio Areopagitâ.

§. 22. Probandum 1. âGregorioM. verè citari l. alleg. *Dionysium Areopagitam*. 2. Eundem appellari â Gregorio *scriptorem antiqvum & venerabilem*. 3. Utrumq; prævio consilio, adductis rationibus, vel Majorum Autoritatibus. At nihil horum in *Gregorio:* qvin potiùs omnia contraria. Vocat qvidem Dionysium Areopagitam *antiquum & venerabilem Patrem:* sed non *scriptorem*. Nominatur qvidem in Oper. Greg. nunc non *Dionysius* solùm: sed & (cum Epitheto) *Areopagita:* & hunc (qvod omninò merebatur) appellat Gregorius *antiquum & venerabilem Patrem:* sed, qvod ibidem *ex cœlesti hierarchiâ* depromit Gregorius, non ipse suo nomine, velut de veritate securus certusve, *Dionysio Areopagitæ* adscribit: sed ex opinione sui temporis: unde: *fertur*, inqvit, *Dionysius Areopagita, antiqvus videlicet, & venerabilis Pater dicere* (l. de cæl. hier. c. 7, 9. 13.) *quod ex Angelorum minorum agminibus foras ad explendum ministerium, aut visibiliter, aut invisibiliter mittuntur, sc. quia ad humana solatia aut Angeli, aut Archangeli veniunt. Nam superiora illa agmina ab intimis nunquam recedunt: quoniam ea quæ præeminent, usum exterioris ministerij nequaquam habent.*

§. 23. Non meminit, Dionysium Areopagitam tale aliqvid dixisse, nedum scripsisse: sed: FERTUR, inqvit, *dicere*, nec vel librum vel capitulum *Dionysii* ut *scriptoris* allegat: qvin nec in sententiâ illa acqviescit, & hoc ipso nec Spiritum Apostolicum, nec stylum Areopagiticum Dionysii agnoscit. Opponit qvippe locum Isaiæ 6. ubi *Seraphini* (juxta Dionysium, primarii & primi ordinis Angeli) vel saltim ex horum ordine unus, mittitur ad *purgandam prunâ, de altari* cælesti *linguam Propheticam:* & contra opponentibus locum Dan. 7. de discrimine Angelorum *ministrantium* & *assistentium*, ex qvibus *ministrantes velut internuncij numinis mittantur: assistentes autem minimè mittantur: sed contemplatione internâ perfruantur*, &, si qvi *superiorum* nomine in tali legatione honorentur, hoc fieri propter vicariatum, qvia scil. â *superioribus legentur*, & horum adeò personam qvasi repræsentent, horum qvoqve *nomen* pro tempore sortiantur, respondet Gregorius M. Qvia ex *quibusdam* scripturæ *locis*, qvædam per *Cherubim*, qvædam per *Seraphim* agi *didicimus*, *utrum per se hoc faciant, utrum per subjecta agmina agant, quæ quia â Majoribus veniunt, majorum vocabula sortiantur*, nos AFFIRMARE NOLUMUS, *quod apertis* (scripturæ) *testimoniis non approbamus.* Urget: *Angelos, ubi ad nos veniunt, sic exterius implere ministerium, ut tamen nunquam desint interiùs per contemplationem. Et mittuntur*, inqvit, *ergo & assistunt, quia etsi circumscriptus est Angelicus Spiritus, summus tamen ipse Spiritus, qui Deus est, circumscriptus non est.* Ita Gregorius contra scriptorē cælestis Hierarchiæ, qvem sanè ipse certò non habuit pro illo Dionysio Areopagitâ, Pauli discipulo.

§. 24. Qvos de cetero Bellarminus allegat, tres scil. Pontifices, duorum conciliorum generalium sexti & septimi Patres, & qvosdam Dd. e. c. *Maximum*, qvi notas scripsit in Dionysium, *Anastasium Bibliothecarium*, *S. Thomam*, qvibus

Sixtus

Sixtus Senensis addit *Johannem Scotum*, *Joh. Saracenum*, *Dionysium Carthusianum*, &c. omnes sunt infra ætatem *Gregorij*, neqve tanti nominis, ut in hoc qvidem litèrarum genere *Vallæ & Erasmo* sint præferendi, qvomodo Bellarminus: *non est*, inqvit, *ullo modo verisimile, tot Patres non potuisse videre id, quod nunc Vallæ & Erasmus vidisse se dicunt.* Qvin qvod mirum, qvem testem Bellarminus l. 5. de Mon. c. 2. allegat pro *Dionysio Areopagitâ*, illum in lib. de script. Ecclesiasticis *falsi* arguit, *Anastasium sc. Bibliothecarium*, in eâdem Epistolâ ad Carolum Calvum Imperatorem. Qvod si autem non habenda fides *Anastasio* in hypothesi, sc. *Dionysium Areopagitam â Joh. Chrysostomo, & Cyrillo Alexandrino*, citari, &, si sub horũ nominibus velut ex Dionysio transscriptũ, citavit, qvod planè *nec in illis extat*, nec unqvam extitit, apparet facilè, qvam fidem mereatur in thesi 5. conclusione superiori, ex falsis præmissis eductâ, sc. *hæc opera esse revera à Dionysii Areopagitæ*: Qvin & *Dionysius Carthusianus* etsi ad Areopagitam inclinat, tamen hæsitasse se satis ostendit, dum exclamat: *Quisquis (Autor) fuit, asperior est.* Ceteri qvoq; populariter, ex opinione potiùs vulgi, qvàm exqvisitè locuti, re non minutiùs excussa, nec adeò prævià collatione & inqvisitione accuratâ, excusantur potiùs, qvàm in testimonium adducuntur. Conf. Petav. Tom. 2. Theol. dogm. de Trinit. l. 1. c. 3. p. 12. sub fin. Walo Mess. de Episcop. & Presbyteris p. 162. Park. de Polit. p. 226. Casaub. in exerc. Sacr.

§. 25. Inprimis in Josephum Scaligerum solitâ malignitate vel acerbitate invectus magnus Magicorum mysteriorum Θεοφάντης Martinus Del-rio pro Dionysiacis Areopagiticis 5. Dionysio superiorum scriptorum autore calamum strinxit, tum alibi, tum in Disqvisit. Magicarum l. 6. c. 3. p. 1037. ut tamen, qvo compendio hîc contra Scaligerum (Temporarium Dictatorem, qvem vocat) in disqvi-

sitionibus usus ille, eodem, solis convitiis, qvibus habenas laxat, exceptis, contra eundem uti liceat. Urget: *Quicquid à Scaligero objectum, jam antea à Luthero, Vallâ, Erasmo, Flacio, Beza in medium prolatum & tum ab aliis, tum à Baronio in annalibus validè calcatũ protritumq́: unde nec amet eandem ferram reciprocare.* At qvicqvid ipse contra Bezam & Scaligerum ibidem pro Autore *Dionysio Areopagitâ* legitimando, rationum vel argumentorum adducit, jam supra non minùs calcatum protritumq; jamest, ut nec hic opus sit *eandem ferram reciprocare.* Thesin ponit: *Dionysium Areopagitam Galliarum Apostolum, esse autorem illorum librorum.* At illum Dionysium Gallorum Apostolum & Martyrem sub Decio posuit Sirmondus, & ut fuerit *Galliarum Apostolus* aliqvis Dionysius, unde constat qvod Areopagita? Sanè *Dionysium Areopagitam primum & Athenien sis Eccles iæ Episcopũ designatum*, Eusebius in hist. Eccles. l. 3. c. 4. memorat & pro hâc sententiâ *Dionysium Corinthium, scriptorem per antiqvum*, testem citat: de Areopagitâ autem illo Pauli discipulo Galliarum Apostolo vel primo Episcopo planè tacet: sed & Dionysius ille, qvi in Galliâ martyrium passus est, vixit adhuc Decio Romanis imperanti sub qvo morte suâ glorificavit DEUM, medio seculo 3. prout perspicuum fecit Vir doctissimus Jacobus Sirmondus. Illud adeò Del-Rii haut alio loco habendum, qvàm qvod in visionibus Brigittæ l. 4. c. 103. relatum, de viso *S. Dionysio orante Virginem Deiparam, ut succurreret regno Galliæ.* Conf. Adr. Lyræus in Trisag. l. 1. Son. 39. & qvod Baronius annal. l. 9. ad a. c. 754. pro certo habet *S. Martyris Dionysii Areopagitæ reliquias sacras, à Stephano III. ex Galliâ Romam delatas, inq́ extructo à se eidem Martyri templo collocatas*, vel qvod ex illis ψευδεπιγραφεῖς sub Dionysii Areopagitæ velut oculati testis nomine scriptum citatur sc. *cum ad B. Virginem videndum Dionysius à Johanne introductus*

ductus esset, tantum ex illâ fulgorem obiectũ Dionysio esse, ut pro DEO habiturus fuisset, nisi fides Dei matrem esse suggessisset conf. idem Lyr. l. 2. Tris. Mar. Paus. 3.

§. 26. Urget Del-Rio. (1) *primitivum*, (qvem & res & verba spirent) *Ecclesiæ Spiritum*, ipsamq; *phrasis antiquitatem*, & cum hoc telum retorqveri, qvin & â posito stylo erudito & antiqvario ad stylum Dionysii Areopagitæ non certò inferri, non ignoraret, urget (2) Testificationem scriptorum aliorum & antiqviorum, non solùm *ex seculò 9.* Photii, & Anastasii Bibliothecarii, *ex seculo 8.* Damasceni, ex *seculo 7.* Anastasii Niceni, ex *sexto labente* Gregorii M. sed & ante Gregorium M. Anastasii Sinaitæ, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, Gregorii Nazianzeni, Dionysii, qvibus sc. Patribus hæc scripta (e. c. opus Hierarchicum) nota fuisse, & citata velut certò Dionysii Areopagitæ, probare conatur, ex *Anastasio Bibliothecario*, *Anastasio Antiocheno*, ex *Liberato*, cumq; hos ψευδομάρτυρας appellasset, & falsi jam convicisset Bellarminus, obiicit nihilominus Del-Rius Billium Prunæum sacrarum observ. scriptorem, *qui velut lectioni Patrum apprimè deditus, idoneus, si quis alius, & locuples hujus rei testis esse possit*, de qvibus qvid sentiendum & illo inprimis argumento ex Photio, qvod Theodorus Presbyter Græcus ex professo hâc de re librum composuerit, & convicerit, ea qvæ extant sub S. Dionysii Areopagitæ nomine opera non esse Pseudepigrapha, ex superioribus constabit. Illud unum saltim addimus: qvæ primaria occasio ibi Martino Jesuitæ fuit pro Dionysio Areopagitâ Galliæ Apostolo, contra *Gallicos Calvinistas* & *temporum emendatorem* calamum stringendi, illam vel posito Dionysio Areopagitâ Operis hierarchici Autore, mox evanescere. Erat illa *transsubstantiatio*, qvam contra *Artocrearios* (qvos sic appellabat) seu defensores sacramentalis, panis & vini, salvâ remanente substantiâ, illius cum corpore,

pore, hujus cum sanguine Jesu Christi, unionis, ipsamq; adeò sacramentalem unionem (qvàm pari calumniâ vocabat *impanationem*) defensum ibat, ex Ignatio, Dionys. Areop. hierarch. Eccles. ast. c. 2. & 3. qvia hi *sacratissimam Eucharistiam* vocarint *panem vivificum*, *qui sit caro Christi*, *sacramentum augustissimum & præcipuum*, ac si sc. valeret in sacramento illatio: *Si caro Christi.* E. *non panis*, vel, *si panis.* E. *non caro Christi*, vel sacramento non constare posset mysterii majestas, nisi supponeretur *Transsubstantiatio*, & tale, *quale scriptum in fronte magnæ meretricis*: MYSTERIUM Apoc. c. 17, 5.

p. 49. §. 27. Citavimus jam supra venerabilem Bedam. Juvat in ipsâ clausulâ verba Bedæ ex notis in Act. Apost. ad c. 17. circa finem, huc apponere. *Hic*, inqvit, *Dionysius Areopagita, est Dionysius ille, qui postea Episcopus Corinthiorum gloriosè Ecclesiam rexit, multaq; ad utilitatem Ecclesiæ pertinentia, quæ hactenus manent, ingenij sui volumina reliquit, cognomen à loco cui præerat accipiens. Ariopagus est etenim Athenarum curia, nomen à Marte trahens, siquidem Græcè Mars ἄρης, & villa πάγος dicitur.* Conferatur cum hoc Bedæ testimonio Eusebius supra citatus n. 25. & patebit confusio Dionysiorum, Atheniensis & Corinthii. Areopagita sanè hic non magis fuit Dionysius Corinthius, qvàm Alexandrinus: utrobiq; ingens metachronismus. De cetero Bedæ epicrisis Grammatica satis sibi constat. ἀρεοπαγίτης sc. dicitur unus ex illo nobilissimo Senatu Athenienſium, qvod Græci σεμνότατον καὶ δικαιότατον δικαστήριον, Valerius Maximus, *Sanctissimum Consilium*, Tacitus *Areum judicium* dixit, in qvo qvi judex erat, & in republ. multum autoritatis habebat, & de cædibus ac vulneribus judicabat, ex qvo adeò sapientissimorum & summorum Senatorum ordine Virum primarium, & gravissimum, publicoq; testimonio probatum ad Christum conversi, haut parum Evangelio profuit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740048260/phys_0064
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740048260/phys_0067
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740048260/phys_0068
DFG

ductus esset, tantum ex illâ fulgorem obiectu D… ut pro
DEO habiturus fuisset, nisi fides Dei matre… fisset
conf. idem Lyr. l. 2. Trif. Mar. Paul. 3.

§. 26. Urget Del-Rio. (1) *primitivum* …es &
verba spirent) *Ecclesiæ Spiritum*, ipsamq; *phr*… *item*,
& cum hoc telum retorqveri, qvin & â po… rudi-
to & antiqvario ad stylum Dionysii Areopag… tò in
ferri, non ignoraret, urget (2) Testificatio… rum
aliorum & antiqviorum, non solùm *ex se*… i, &
Anastasii Bibliothecarii, *ex seculo 8.* Damas… *lo 7.*
Anastasii Niceni, ex *sexto labente* Gregorii M… Gre-
gorium M. Anastasii Sinaitæ, Chrysostomi… xan-
drini, Gregorii Nazianzeni, Dionysii, qvibu… hæc
scripta (c. c. opus Hierarchicum) nota fuiss… elut
certò Dionysii Areopagitæ, probare conatu… *o Bi-*
bliothecario, *Anastasio Antiocheno*, ex *Libe*… hos
ψευδομάρτυρας appellasset, & falsi jam co… llar-
minus, obiicit nihilominus Del-Rius Billiu… n sa-
crarum observ. scriptorem, *qui velut lection*… *rimè*
deditus, idoneus, si quis alius, & locuples hujus… *pos-*
sit, de qvibus qvid sentiendum & illo inprim… o ex
Photio, qvod Theodorus Presbyter Græcus… hâc
de re librum composuerit, & convicerit, ea… sub
S. Dionysii Areopagitæ nomine opera non e… gra-
pha, ex superioribus constabit. Illud uni… ddi-
mus: qvæ primaria occasio ibi Martino… pro
Dionysio Areopagitâ Galliæ Apostolo, cont… *alvi-*
nistas & *temporum emendatorem* calamum… llam
vel posito Dionysio Areopagitâ Operis hie… ore,
mox evanescere. Erat illa *transsubstantiati*… ntra
Artocrearios (qvos sic appellabat) seu defe… en-
talis, panis & vini, salvâ remanente substantiâ… cor-
…re,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740048260/phys_0069
DFG